



12356. V. F. C.

V





JOSEPHI GREGOR. LENAZ.  
SS. THEOL. DOCTORIS, ET CÆS.  
REGII PROFESSORIS PUBL. ORD. IN  
ACADEMIA LABACENSI &c.


# DISSERTATIO

D E

FONTIBUS THEOLOGICIS  
PROOEMIALIS

I N

PRÆLECTIONES DOGMATICO.  
THEOLOGICAS.



---

LABACI, LITERIS EGERIANIS,

1776.

САНКТ-ПЕТЕРБУРГ  
ДОЛГИЙ ВЪДЪМ  
ВЪДЪМЪ ДОЛГИЙ  
ДОЛГИЙ ВЪДЪМЪ


# ДЕЯНИЯ

а

САНКТ-ПЕТЕРБУРГ  
ДОЛГИЙ ВЪДЪМЪ

1815

Литературные документы  
литература



ДРЕВЛІ ТИТАНІІ ГЕЛІАНІІ

IN=030006684

ASSERTIONES THEOLOGICÆ

EX TRACTATIBUS

D E

DEO UNO, ET TRINO,

LEGIBUS, BEATITUDINE,

PECCATIS, ET PECCATORUM POENIS

A D M E N T E M

SS. ECCLESIAE DOCTORUM  
AUGUSTINI, ET THOMÆ,

Q U A S

IN ARCHIDUCALI ACADEMIA LABA-  
CENSI, MENSE AUGUSTO, DIE ANNO  
MDCCCLXXVI. PUBLICE PROPU-

GNANDAS SUSCEPIT

Rev. Erud. & Perdoct. D. JOANNES  
NEPOMUC. CHRISTIAN, Carn.  
Labacenfis, SS. Theologiæ Auditor.

SUB PRÆSIDIO

JOSEPHI GREGOR. LENAZ,  
CANONICI ECCLESIAE CATHE-  
DRALIS PETENENSIS, PROTO-NOTA-  
RII APOSTOL. SS. THEOLOG. DOCTORIS  
ET CÆS. REGII PROFESSORIS  
PUBL. & ORDINARIII &c.

БІЛОРУСЬКА ЛІТЕРАТУРА

ІІІ. СТАРЫЙ КІ

ІІІ.

Онішт та оди оні  
зменшілі, бывалі  
песням горіш  
матері да  
міротвора зізводі  
Ельмонт та місця

ІІІ.

Літат думка да  
оні але скончані зізводі  
зменшілі, бывалі  
песням горіш

Земляці! Відь я єшт  
імператарію зізводі  
землю зізводі! ІІІ.

ІІІ.

Камік якож інші  
камік якож інші  
камік якож інші  
камік якож інші  
камік якож інші



# ASSERTIONES.

## I.

Deum existere , non solum fide divina credi debere , sed etiam naturalibus rationibus demonstrari posse , contra Scepticos , nonnullosque Theologos : idque sine reprehensione , contra Voltairium , & Sancteuremondum asserimus .

## II.

Demonstramus vero argumentis ex rerum omnium , quæ in hoc mundo sunt , contingentia , ex motu qui in materia existit , ex mirabili hujus mundi structura , & ex unanimi omnium hominum consensione .

### III.

Hæc autem argumenta esse tanta, contestantur S. Scriptura, Patres, Philosophi, & ratio ipsa, ut hominem rationis compotem, absque discrimine cultos inter & rudes, remoto cuiusvis inadvertentiæ prætextu, neque brevi temporis spatio, minus toto vitæ suæ decursu patiantur Deum inculpate ignorare.

### IV.

Deus est Unus; nec ratio naturalis, ut pertendit Bayle, ex phænomenis naturæ infert necessitatem duorum principiorum, quorum alterum esset essentia-liter bonum, & alterum essentialiter malum.

### V.

Deum esse substantiam rerum totius Universitatis, cuius entia omnia modifications sint & attributa, contra Pantheistas, & Spinozistas negamus; sed Deus est substantia distincta a substantia hujus Universi, omnis corporis expers, seu spiritualis, nec salva fide aliter credi posse, nec quæstionem de Dei spiritualitate <sup>ad idem popo</sup>, dici admittimus contra Beausobrium, aliquosque.

### VI.

## VI.

Deum asserimus substantiam simplissimam, attamen ita ut contra Eunomium aliquam distinctionem inter attributa, & essentiam divinam concipiamus; excludamus vero distinctionem realem inter eadem attributa & essentiam, qualem dicitur erronee propugnasse Gilbertus Porretanus; aut inter essentiam & ~~operationem~~, & operationes, uti errabat Gregorius Palamas.

## VII.

Insuper in Deo dari vere ac realiter tres Personas, non est novum Recentiorum commentum; sed dogma Catholicum, quod ex SS. Scripturis Veteris & Novi Testamenti, & constanti Ecclesiæ Traditione adstruimus contra Sabellianos antiquos, & novos Socinianos.

## VIII.

Contra eosdem Sabellianos, ipso- rumque fautores Petrum Bayle, & Joannem Tollandum Mysterium Trinitatis rectæ rationi repugnare negamus; ast si- mul propugnamus istud rationem natu- ralem longe superare, nec posse natura- li lumine sine revelatione cognosci.

## IX.

Filiī Divinitatem, & consubstantialitatem cum Patre ex Sacris Literis & Ecclesiæ Traditione probamus; estque hoc fidei dogma capitale, quod nemo sine magno piaculo negare potest; & errorem contrarium in Ecclesia tolerari posse negamus contra nonnullos Protestantes, & Socinianos.

## X.

Spiritus Sancti Personam esse Divinam & consubstantialem Patri, & Filio contra Macedonianos, & Socinianos; illumque divinum Spiritum a Filio, non minus quam a Patre vere atque interne procedere contra Græcos Schismaticos asserimus.

## XI.

Deus summa & infinita Providentia res creatas, seu cœlestes seu terrenas, easque etiam humanas, aliasque minimas omnes administrat, & regit, atque hanc Dei Providentiam Deistæ in cassum redarguunt ex malis seu physicis, seu moralibus, quæ istic contingunt.

## XII.

Ex summa Dei Providentia inferimus cum S. Thoma 1. 2. qu. 91. ar. 2.

exi-

existentiam Legis Naturalis ; eandem item evincimus argumento SS. Scripturarum.

### XIII.

Quam subinde Providus Deus Genti Judææ specialiter dederat per Moysen Legem ; ita dederat , ut aliquando abrogaretur ; atque revera fuiſe abrogatam afferimus contra Judæos.

### XIV.

Contra Machumedanos vero afferimus , Legem Evangelicam duraturam usque ad finem mundi ; in eaque contineri non modo præcepta fidei & credendi , sed etiam præcepta morum & agendi contra Lutheranos & Calvinistas.

### XV.

Deus animabus justorum , quibus nihil ivendum supereſt , post hanc vitam sine ulla dilatione beatificam sui viſionem concedit. Unde fabulis accensemus mille annorum regnum , quo Beati corpore resumpto in hoc mundo cum Christo fruituri dicuntur.

### XVI.

Impios autem Legum transgressores punit poena æterna Inferni , ut ex SS. Scripturis & Traditione probamus.

### XVII.

## XVII.

Non tamen quærit gloriam justitiæ suæ in punitione impiorum: neminem voluntate antecedente prædestinat ad Infernum: non prædefinit peccata, tanquam media damnationis, nec ad ea movet, aut impellit: verbo, non est auctor peccati.

## XVIII.

Est aliquod peccatum originale, quod in Adæ posteris omnes transfundi probamus ex SS. Scripturis Veteris, & Novi Testamenti, & ex Traditione Ecclesiæ.


## XIX.

Deus peccata omnia non punit pœna æterna Inferni, non solum eo quod bonus & misericors fit; sed quod natura sua & ab intrinseco sint diversi gradus peccatorum, sintque aliqua natura sua & ab intrinseco venialia.

## XX.

Hujusmodi venialium peccatorum, vel reatūs pœnæ temporalis subinde residui post remissum reatum culpæ mortalis, & pœnæ æternæ, nisi in vita expiaverint, animæ justorum pœnas luunt in Purgatorio, cuius existentiam probamus ex SS. Scripturis, & Traditione.

DIS.



DISSE

DE

FONTIBUS THEOLOGICIS

PROOEMIALIS

IN

PRAELECTIONES

DOGMATICO - THEOLOGICAS.

Ingressus.

§. I.

*Consilium exordiendi a notione Theologie.*



A notione Sacræ, quam aggredimur,  
Disciplinæ cursus nostros Academicos auspicamur, ut in aditu  
ipso perspecta ejus natura, qua semita sit  
nobis currendam intelligamus.

§. II.



## § II.

### *Definitio.*

Est itaque Theologia scientia Dei,  
divinarumque rerum, seu earum omnium.  
quæ ad Deum quoquo modo pertinent.

\* Nam „ omnia pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus: vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium & finem; “ ut docet S. Thomas 1. par. qu. 1. art. 7.

## §. III.

### *Divisio.*

Dividimus Theologiam in *Naturalem*, & *Revelatam*, quæ non *objeto*, aut *fine* discrepant, sed *principiis*. Prior ex naturæ ideis; posterior ex ideis revelatis de Deo, divinisque rebus ratiocinatur: seu quod idem est: illius principia a natura sunt, hujus a revelatione.

\* Auctor antiquus *Commentarii in Esaiam cap. 8. inter opera S. Basiliitom. I.* „ Sunt autem, inquit, modi duo, quibus possimus adduci, ut cognoscamus Deum, suscipiamusque

‘, cu-



„ curam nostri ipsorum , si aut *cogitationibus* naturalibus per visibilia adscendamus „ ad Conditorem , aut per *legis* nobis traditæ doctrinam . “ Apte quoque Origenes lib. I. contra Celsum scribit , *bis* leges a Deo promulgatas hominibus ; primum *via rationis* ; deinde *via prophetiæ* , cuius nomine sensu latiore venit omnis revelatio .

#### §. IV.

#### *Præstat Naturali Revelata , imo. Principiis.*

Distat longe Naturalis a Revelata . Angustior enim & imperfectior est illa ; hæc amplior & perfectior . Est scilicet lumen naturæ exiguum , & magna ex parte humanæ imbecillitatis tenebris obsitum : lumen vero revelatum & longius latiusque patet , & plenius est , atque sincerius .

\* Etenim „ mens nostra , cum intra carnis & „ sanguinis claustra concluditur , & pro tali „ materiæ participatione habetior , atque „ obtusior redditur , licet pro comparatione „ naturæ corporeæ longe præcellens habetur , tamen cum ad incorporea nititur , „ atque eorum intentionem rimatur , tunc „ scintillæ alicujus lucernæ vix obtinet locum . “ Ita Origenes lib. I. de principiis cap.



*cap. i.* Philosophi gentiles humanæ mentis brevitatem, & rationis imbecilitatem ad unum omnes agnoverunt, quicrum loca con-  
cessit Huetius in *Opusculo de imbecilitate  
mentis humanæ*, quod Huetio abjudicat  
Antonius Muratorius in eo libello, quo  
Huetiani Opusculi doctrinam refellit; sed  
Antonius Genvensis veretur, ut omnibus  
persuaderit. Ceterum de mentis humanæ  
imbecillitate vide utrumque Antonium, Mu-  
ratorium sub anagrammate Lamindi Prita-  
nii de *Ingen. moderat. in Relig. negotio lib. I.*  
*capp. 6. & 7. Genvensem Elem. Metaphys.*  
*par. 2. Thaumophiæ Nat. proœm. §. 4. & seqq.*

§. V.

*2do. Extensione.*

Et præterquam brevis fit intel-  
lectus noster, coecuciatque etiam in iis,  
quorum semina in natura visibili habe-  
mus, ita ut ex illis ad invisibilia Dei  
assurgamus; sunt multa, quorum nulla  
in natura visibili extant vestigia, & quæ  
nullatenus attingimus, nisi superna ra-  
tione, divinaque revelatione illustrati;  
proinde quæ nobis relictæ prorsus igno-  
rare cogimur.

\* „ Quasi radii quidam sunt Dei, ait Orige-  
„ nes lib. 1. de Principiis cap. 1. “ naturæ  
opera



opera , „ quibus ducimur ad Deum cognoscendum , unde antiqui Philosophi plerique, teste Cicerone lib. 1. de Nat. Deor. „ quod maxime verosimile est, & quo „ omnes duce natura vehimur , deos „ esse dixerunt. “ Sed a divinæ existentia cognitione volentes ultro progredi in Deo cognoscendo , „ tanta sunt in varietate , „ ac dissensione constituti, ut eorum mo- „ lestum sit annumerare sententias. “ Aëra deum statuit Anaximene, Diogenes Apolloniates : Solem Xenophon : Sidera Crotoniades : Coeli ardorem Aristoteles : ætereum ardorem undique circumfusum Zeno, ejusque discipulus Cleantes ; æque errarunt alii. *Vid. Cicer. laud. loc.* En naturalis ingenii imbecillitatem ! Ejusdem quoque brevitatis capiamus exempla ; sic „ quod ad primam originem pertinet, utar verbis S. Augustini lib. de Civit. Dei 22. cap. 22. „ omnium „ mortalium progeniem fuisse damnatam, „ hæc ipsa vita , si vita dicenda est, tot „ & tantis malis plena, testatur ; “ Sed quis quæso , damnationis certam assequatur causam absque divina revelatione ? „ Ab hu- „ jus, pergit Augustinus, tam miseræ qua- „ si quibusdam inferis vitæ, non liberat , „ nisi gratia Salvatoris Christi Dei , ac Do- „ mini nostri ; “ Sed tolle revelationem ; esse Christum, ejusque gratia salvari homines , unde intelliges ? Confiteamur igitur esse multa supra sphæram nostræ naturalis rationis, quæ quia „ captum humanæ men- „ tis excedunt, ea fide honoranda sunt, “ hoc



hoc est ; divina ex revelatione sunt addicenda , ut apte scribit S. Cyrillus Alex. in *Glophyris* , seu *Commentariis in reliquos Pentateuchi libros.*

### §. VI.

#### *Utraque decet Theologum.*

Utrumque hoc genus Theologiæ conjungendum est Theologo. Nam licet breve sit & imbecille rationis nostræ ingenium ; illud tamen absque reprehensione non negligitur. (a) Est deinde id insitum hominibus , ut quæ per fidem, tanquam speculum , & in œnigmate cernunt ; per lumen rationis penitus , & facie ad faciem inspicere appetant ; unde de se fatetur Augustinus : „ Ego ita „ sum affectus , ut quid sit verum , non „ credendo solum , sed etiam intelligen- „ do apprehendere impatienter deside- „ rem. “ (b) Decet denique omnibus numeris absolutum Theologum , ut & quæ natura ac ratio de Deo patefecit , & quæ docet revelatio , in promptu habeat , & in numerato.

(a) Perorat S. Gregorius Nazian. *Orat. 23.*  
quæ est in laudem Heronis Philosophi , „  
„ Opor-



„ Oportere hominem aut Philosophum esse,  
„ aut Philosophiam laudare, ne brutæ socor-  
„ diæ damnetur, qui rationis particeps est.“

(b) *Lib. 3. contra Acad. cap. 20.*

## §. VII.

### *Præfertur Revelata.*

Sed quia per lumen rationis de Deo, alia conatu irrito; alia cum periculo errandi, perscrutamur; perficiamus revelatione naturam, & quæ per naturam intelligimus, corroboremus: quæ non satis cognoscimus, intelligamus: quæ ignoramus prorsus, cognoscamus revelatione. Confiteamur revelationem partim *unicum*, partim *solum tutissimum esse modum sciendi Deum*, resque divinas. Dicamus cum Platone: „ veritatem omnem uno duntaxat addisci modo posse, si eam vel ab ipso Deo, vel ab iis, qui a Deo sunt orti, doceamur.“ (a)

(a) In *Timæo* apud Clementem Alex. *Lib. 6. Strom.* Idem Platonis dictum laudat Author *Expositionis Fidei* inter opera S. Iustini: „ Nulla divinarum rerum manifesta est hominibus: quod Græcorum quidam Sapiens dixit.“



## §. VIII.

*Igitur insistendum Revelationi.*

Quamobrem, & pro instituti nostri ratione pio affectu ad fidem (a) insistamus revelationi, qua si secreta multa & nostro intellectui impervia docemur; ea non nisi vera esse, quia revelata a Deo, fonte omnis veritatis, & sapientiae, quem implicat vera non loqui, firmiter teneamus. Habes revelationem? Habes veritatem, acquiesce, crede. Audi apte pro me Cassianum: „ Sed rationem „ dicti quæris? Non reddo. Interim „ Deus hoc dixit. Deus hoc locutus „ est mihi, verbum illius summa ratio „ est. Removeo argumenta: removeo „ disputationem. Sola mihi ad credulitatem sufficit persona dicentis. Non „ licet mihi de fide dicti ambigere; non „ licet dubitare. Quid mihi quærere, „ quomodo verum sit, quod Deus dixit, cum dubitare non debeam, quin „ verum sit, quod Deus dixit.“ (b)

(a) August. *Epist. 222.* scribit: „ Ut ergo in „ quibusdam rebus ad doctrinam salutarem „ pertinentibus, quas ratione nondum per „ cipere



„ cipere valemus , sed aliquando valebimus ,  
„ fides præcedat rationem , qua cor mun-  
„ datur , ut magnæ rationis capiat , & per-  
„ ferat lucem ; hoc utique rationis est . Et  
„ ideo rationabiliter dictum est per Pro-  
„ phetam : *Nisi credideritis , non intelligetis.*  
„ ( *Isaiæ 7.* ) Ubi procul dubio discrevit  
„ hæc duo , *deditque consilium , quo prius*  
„ *credamus , ut id quod credimus , intelligere*  
„ *valeamus.* Proinde ut fides præcedat ra-  
„ tionem , rationabiliter visum est . “

(b) *Lib. 4: de Incarnat. cap. 6.*

## C A P U T I I.

### DE SACRA SCRIPTURA.

#### § IX.

*Cujus sedes est S. Scriptura.*

Revelationem continent libri Cano-  
nici veteris , & novi Testamenti , quos ,  
Spiritu S. dictante , Sacri Auctores ex-  
ceperunt . Hi primum constituunt cano-  
nem veritatis . His superstruenda est no-  
stra Theologia . His quæ consentanea  
sunt , firmissime amplectamur ; quæ ad-  
versantur , strenue rejiciamus .



\* Hunc canonem semper secuta est Ecclesia. Hunc constanter inculcant Patres; sic S. Dionysius *de divinis nominib.* lib. 1. cap. 1. initio, „ Nemini, ait, committendum esse „ uti dicat, ac vel cogitatione quidem „ tractet aliquid de supersubstantiali & ar- „ cana deitate, præter illa, quæ divinitus „ nobis a *sacris Scripturis* declarata sunt. “ quæ verba Dionysii paucis insertis descrip- fit S. Joannes Damasc. *Lib. 1. de Fide Orthod.* cap. 2. & adducit S. Thomas 1. par. qu. 39. ar. 2. arg. 2. Dionysio consentiunt S. Basilius *Homil. contra Calumniatores S. Trinitatis*: „ His, quæ *scripta* sunt crede, quæ non sunt „ *scripta*, ne quære. “ S. Cyrilus Hiero- sol. *Catech.* 4. „ Oportet de divinis ac „ sanctis fidei mysteriis ne tantillum qui- „ dem tradi sine *sacris literis*. “

### §. X.

*Non sufficit sola.*

Verum dum ad tantum sacerorum librorum lumen consedimus, multis te- nebris imbecillitas nostra obsidetur, & non paucis ænigmatibus teretur. Quis enim nesciat, quot, ac quantæ, quam- que variæ moveantur quæstiones de sa- cris Scripturis. Disputatur de legitima quarundam origine & existentia. Du- bitatur de sincera, cui tuto confidere possi-



possimus, versione. Non constat subinde de genuino ipsarum sensu. Occurrunt multa obscura, & in speciem contraria. Ab ambitiosis & contentiosis meridiano sole clariora in transversum trahuntur. Ne cœca temeritate agamur, subsistamus hic, & Biblia Sacra, quæ præ manibus habemus, per se ipsa & nuda ad fidei dogmata plene & liquido probanda esse insufficientia agnoscamus, necesse est.

\* Biblia per se sumpta sunt opus manuum hominum. Præter libros, quos in ipsis legimus, Hermam, seu *librum Pastoris*, ut sacram Scripturam, laudant Clemens Alex. *Strom. lib. 1. & 6.* Irenæus *lib. 4 cap. 37.* Origenes *lib. 10. in Epistol. ad Rom.* Eundem librum, & ex iis, quos legimus in Bibliis, „ Sapientiam, quæ vulgo Salomonis in- „ scribitur, & JESU Filii Syrach librum „ (seu *Ecclesiasticum*) & Judith, & To- „ biam “ negat esse in Canone SS. Scrip- turarum S. Hieronymus in *Prologo Galeato.* Synodus Trid. *Sess. IV. in Decreto de Edit. & usu Sacr. libr.* ex omnibus Latinis Editionibus, quæ tunc circumferebantur, declaravit, ut hæc ipsa vetus & vulgata Editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata erat, „ in publicis „ lectionibus, disputationibus, prædicatio- „ nibus, & expositionibus pro authenticâ



„ habeatur. “ Vulgatam igitur nostram ceteris  
 solum prætulit Latinis Editionibus , ipsique  
 ex Latinis soli *publice* fidem adhiberi voluit,  
 vetuitque refragari , nec aliarum Latinarum  
 prohibuit usum privatum , sicut nec publi-  
 cum Hebræorum , & Græcorum Exempla-  
 rium. Vid. Joan. Opstraet *de Locis Theol.*  
*Dissert. I. quæst. 6. s. 3.* In illa eadem ,  
 quæ pro authentica haberi jubetur , Scriptu-  
 ra vulgata corrigenda plurimum insudarunt ,  
 Romani Pontifices Pius iv. Pius v. Six-  
 tus v. Gregorius xiv. Clemens viii. neque  
 ita emendata est , quamvis *quanta fieri potuit* ,  
*diligentia* incubuerint , ut sit omnino per-  
 fecta , sed potius *omnibus numeris absolutam*  
*pro humana imbecillitate affirmare difficile esse* ,  
 ingenue fatentur Correctores Romani in  
*Præfatione* Bibliis præfixa. Est peregrinus  
 in Commentariis Scripturarum , qui nescit ,  
 in quot opiniones abeant Patres in inter-  
 pretandis Scripturis , quantum laborent in  
 solvendis antilogiis. Denique Hæretici om-  
 nes improbo conatu errores suos ex Scriptu-  
 ra deducere sunt ausi ; „ aliter namque il-  
 „ lam Novatianus , aliter Sabellius , aliter  
 „ Donatus exponit : aliter Arius , Eunomius  
 „ Macedonius ; aliter Photinus , Apollina-  
 „ ris , Priscillianus ; aliter Jovinianus , Pela-  
 „ gius , Cœlestius ; aliter postremo Nesto-  
 „ rius ; “ inquit Vincentius Lirinenis  
*Commonit. adver. hæres. cap. 2.* Solutionem  
 vide *infra* s. 15. 20.

# C A P U T III.

## DE SACRIS TRADITIONIBUS.

### §. XI.

#### *Supplent Sacrae Traditiones.*

Istas quascumque quæstionum nebras depellit Divino - Apostolicarum Traditionum auctoritas , quæ alterum divinæ revelationis est lumen, quo subvenitur nostri intellectus brevitati, & imbecillitati.

\* Traditionem, uti alterum canonem semper fuisse veneratam Ecclesiam, testis est nobis Laud. Vincentius Lirin. *Comm. adverſ. hæref. cap. 1.* verbis: „ Hujus modi semper re- „ sponsum ab *omnibus* fere retuli, quod sive „ ego, sive quis alius vellet - - - in fide „ fana sanus, atque integer permanere, du- „ plici modo munire fidem suam, Domino „ adjuvante, deberet, primum scilicet Di- „ vinæ legis auctoritate, tum denique Ec- „ clesiæ Catholicæ traditione, “

### § XII.

#### *Definitio.*

Sunt vero Traditiones fidei, morumque veritates, „ quæ ipsius Christi



„ ore ab Apostolis acceptæ , aut ab ipsis  
„ Apostolis , Spiritu Sancto dictante ,  
„ quasi per manus traditæ , ad nos usque  
„ pervenerunt , “ ut loquar cum *Trid.*  
*Sej. IV. in Decr. de Scripturis Canonicas.*

\* Ex gr. Christi ore *Matth. 28.* acceperunt  
Apostoli veritatem mysterii Trinitatis , dum  
jussi sunt baptizare *in nomine Patris , & Filii ,*  
*& Spiritus Sancti.* Ab Apostolis accepe-  
runt mysterium Trinitatis ii , per quos bapti-  
zantes trasiverunt , & sic quasi per manus ,  
seu successivos baptismos ab avis ad nepotes ,  
a nepotibus ad pronepotes veritas ejusdem  
mysterii pervenit . Constat igitur ex Tra-  
ditione .

### S. XIII.

#### *Divisio.*

Traditio rite dividitur in *Inhaesi-  
vam , Declarativam , & mere Oralem.*  
*Inhaesiva* est , quæ tradit illud ipsum , quod  
clare scriptum est . *Declarativa* dissertius  
explanat , quod Scriptura breviter aut  
minus clare docet . *Mere oralis* tradit ,  
quod nullo modo , ne implicitis quidem  
terminis scriptum est : quodque neque  
per regulas consequentiaæ , neque per re-  
gulas



gulas interpretationis ex Scriptura deduci potest.

\* Exemplum Traditionis Inhæsivæ est *Resurrectio Christi*, cuius veritas maneret, etiam si periret tota Scriptura. Declarativæ est *realis præsentia Christi in Eucharistia*, quam si Scriptura cœcumentibus Protestantibus fatis non indicat, declarat Traditio. Mere oralis est *doctrina Christi, & Apostolorum*, antequam scriberetur novum Testamentum. Sunt & aliæ divisiones Traditionis minus ad meum institutum pertinentes, quas est videre apud Joann. Opstraet *de locis Theol. Dissert. 2. qu. 1.*

#### §. XIV.

*Existunt Inhæsivæ, & Declarativæ.*

Traditiones Inhæsivas, & Declarativas nemo Catholicorum negat. Inhæsivas profecto quisque confiteatur, necesse est, qui cogitārit eadem, quæ in sacris Bibliis leguntur impressa, orali simul instructione, & quasi per manus a majoribus nostris ad nos pervenisse; Verbum enim Scripturæ „ Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, “ (a) hoc fideles omnes profitemur. Traditiones Declarativas invicte probant Acta



Conciliorum, quæ sensum Scripturarum  
subsidio Traditionis declarant.

(a) *Rom. cap. 10. v. 8.*

### §. XV.

*Per quas perficitur intellectus Scripturarum.*

Quod igitur in exanimi Sacrorum  
Bibliorum papyro obscurum, dubium,  
& impervium est; illud viva Traditionis  
voce discere contendamus; habent  
enim, ait S. Irenæus, qui in Christum  
credunt, „ fine charta & atramento  
„ scriptam per Spiritum in cordibus  
„ suis “ rectam fidem, qua instrui  
possimus, etiam si perirent Scripturæ.

\* Asserti veritatem habemus apud Hieronymum in *Dialogo adversus Luciferianos*, ubi producto dogmate confirmationis: „ An ne nescis etiam hunc esse Ecclesiæ morem, ut baptizatis postea, manus imponatur, & ita invocetur Spiritus Sanctus; “ deinde de vi traditionum ita loquitur: „ Exigis, ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum; „ Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hac parte consensus instar præcepti obtineret. “ Supra §. 10. observavimus, esse sua Scripturis menda, obscuritates, sensus controversos; iis omnibus me-



medetur Traditio. „ Idcirco multum necesse  
„ est, dicam cum Lirinensi *Comm. advers.*  
„ *hæref. cap. 2.* propter tantos tam variū  
„ erroris amfractus, ut Propheticæ & Apo-  
„ stolicæ interpretationis linea secundum  
„ Ecclesiastici & Catholici sensus normam  
„ dirigatur. “

### §. XVI.

*Mere orales Anonymus rejicit ad quæstio-*  
*nem Scholasticam.*

„ *An dentur Dogmaticæ, inquit*  
„ *quidam Anonymus, (a) a verbo Dei*  
„ *scripto plane separatæ, quarum ne ob-*  
„ *scura quidem mentio fiat in Sacris Pa-*  
„ *ginis? Quæstio est pure Scholastica,*  
„ *quæ tantas rixas haud meretur. “ Vo-*  
„ *cac affinem hanc quæstionem illi Theolo-*  
„ *gorum controversiæ: an materia fidei cre-*  
„ *verit ab Adamo usque ad Christum per legem*  
„ *novam Evangelii? quæ citra hærefim pro-*  
„ *blematice defendi potest. Qui crevisse*  
„ *negant, contendunt, omnia novæ legis*  
„ *dogmata contineri saltem implicite in ve-*  
„ *teri Lege. Sic etiam qui Traditiones*  
„ *mere Orales negare vellet, deberet osten-*  
„ *dere, quod omnis veritas, Traditione*  
per-



percepta , lateat in Scripturis Divinis.  
Ita ille.

(a) In libello , cui titulus : *Principia juris Publ. Eccles. Catholicor. ad Statum Germaniae accommodata cap. 2. §. 10. Ibid. §. 11.* distinguit dogmata , & negat ullum esse *pragmaticum* , & *fundamentale* , quod Traditione mere orali nitatur. Concedit vero *Secundaria* & *pragmaticis* inferiora exhiberi Traditione ; ex gr. S. Mariam semper mansisse Virginem : valere Baptisma hæretici , & mulieris : Sacramenta alia posse bis , alia semel recipi , quæ ægre ait ex Scriptura erui. Concedit niti traditione *pias Christianorum* , quas vulgo vocant , *credulitates* ; ex gr. corpus B. Virginis jam esse in cœlum assumptum : ipsam fuisse sine labe conceptam.

## §. XVII.

*Carpit Decretum Trident.*

*imo. ut laborans supposito.*

Trid. Synodus Seff. IV. in Decr.  
de Canon. Script. „ perspiciens fidei veri-  
„ tatem , & morum disciplinam conti-  
„ neri in libris scriptis , & *sine scripto*  
„ *traditionibus* , quæ ipsius Christi ore ab  
„ Apostolis acceptæ , aut ab ipsis Apo-  
„ stolis , Spiritu Sancto dictante , quasi  
„ per



„ per manus traditæ, ad nos usque per  
„ venerunt - - - traditiones ipsas, tum  
„ ad fidem, tum ad mores pertinentes,  
„ tanquam vel oretenus a Christo , vel  
„ Spiritu Sancto dictatas, & continua  
„ successione in Ecclesia Catholica con-  
„ servatas , pari (cum Scripturis scili-  
„ cet ) pietatis affectu , ac reverentia sus-  
„ cipit , & veneratur. “ Et infra : „ Si-  
„ quis autem - - - traditiones prædictas  
„ sciens & prudens contempserit ; anathe-  
„ ma “ dicit. Sed Anonymus de Tra-  
„ ditionibus quæstionem , ait facti potius  
esse , quam juris ; (a) „ Nemo enim ne-  
„ gat , Verbo Dei tradito , siquod reipsa  
„ existat , omnem deberi reverentiam ,  
„ sed hoc inficiantur Protestantes , quod  
„ existant præter Scripturam genuinæ  
„ Traditiones , “ unde Decretum Trid.  
supposito laborare innuit.

(a) In cit. libel. cap. 2. §. 2.

### §. XVIII.

2do. Ut insufficiens.

Item anathema illud vagum vocat,  
& quod „ non videtur efficaciter fulmi-  
„ nare



„ nare Protestantes, cum nemo illorum  
 „ dicat, traditiones ipsius Christi ore  
 „ ab Apostolis acceptas, aut ab ipsis  
 „ Apostolis Spiritu S. dictante quasi per  
 „ manus traditas, *a se scienter, & pru-*  
 „ *denter contemni.* Confimili fere ratio-  
 „ ne, qua Catholicus in thesi credens,  
 „ Reliquias Sanctorum esse venerandas, non  
 „ subibit anathema, si negat has indivi-  
 „ duas reliquias esse veras. Nam sicut  
 „ multitudo pseudo-reliquiarum ipsas  
 „ adeo genuinas reddidit suspectas, ita  
 „ innumeræ fabulæ, variis traditionibus  
 „ mixtæ, harum existentiam iis, qui  
 „ duræ sunt credulitatis, fecere ambi-  
 „ guam. “ (a)

(a) *Ibid. in nota 2.*

### §. XIX.

*Si evadit notam hæresis vi Decreti Trid.*

Fateor Trid. Decretum esse inde-  
 finitum, atque quum præter mere *Orales*  
 sint aliæ Traditiones Inhæsivæ, & De-  
 clarativæ; posse trahi, & arctari ad si-  
 gnificandas Traditiones inhæsivas, &  
 Declarativas; quoniam quum quod  
 Scrip-

Scriptura continet papyro, id viva voce doceat Traditio; vel sic integra videtur consistere Tridentina professio: Fidei veritatem, & morum disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus. Vereor igitur notanter vi Trid. Decreti meo privato judicio hæreseos notam inurere ei, qui negat Mere-oralium Traditionum existentiam Decreto Trid. esse definitam.

\* Vid. infra §. 69.

### §. XX.

*Non evadit tamen absolute censuram.*

Ait laud. Anonymus non evadit justam censuram; quum existentia Traditionum Inhaesivarum & Declarativarum convincat possibles esse similiter Mere-orales, & fundamenta, quæ probant Traditiones illas, æque pugnant pro existentia istarum.

\* Præ reliquis vid. Natalem Alex. *Hist. Eccl.* Sec. I. & II. *Dissert. XVI.* Profecto si neges Traditiones mere-orales; unde probabis Biblia nostra continere Verbum Dei? Unde distingues Libros Canonicos a non Ca-



Canonicis? unde, quod tota Scriptura, faltem quoad articulos necessarios sit nobis salva & incorrupta? unde hujus vel alterius loci Scripturæ obscurioris verum & genuinum sensum? Vid. Joann. Opstraet *de Locis Theol. Differ.* 2. qu. 2. §. 2. Quamobrem si peccat contra Decret. Trid.: si evertit fidei fundamenta, qui negat Traditiones Inhaesivas & Declarativas; multo magis reus est, qui negat Mere-orales, quod iste fidei arborem non putet in ramis, sed ipsam a radice excindat. Vedit sequelam Anonymus; Hinc cit. cap. 2. §. 1. in nota prævenit observando Chemnitium cum aliis Protestantibus admittere necessitatem *Traditionis alicujus generalis*, qua nempe constet, *hos illosve libros ab olim insertos fuisse Canoni SS. Scripturarum*, quia qui mille quingentis annis post Apostolos nati sunt, non aliunde acceperunt Scripturas, quam e manibus Catholicorum. Sed non discessit a præconcepta Idea, nam urget cit. cap. 2. §. 15, „*Nec ipsam Ecclesiam in dogmatibus ullam traditionem, tanquam mere oralem fidelibus proposuisse acceptandum.*“ Sed jocari magis, quam ex fide loqui virum Catholicum puto. Non videt in eo Decreto, quod oppugnat, recenseri *Sacrorum librorum indicem*, dein concludi: „*Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia, Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis non suscepit;*“

„ana-



„ anathema sit. „ Dicat, ubi in Scripturis legatur Catalogus ille librorum? Proposuit dogma de existentia Scripturarum, si non signate, (utar terminis Arabismum olenibus) exercite saltem, dum constanter recurrit Ecclesia ad libros Canonicos, tanquam fontem veritatis. Ergo dictas saltem de libris Canonis mere - orales habemus Traditiones, & definitione, & praxi, ad credendum propositas ab Ecclesia. *Vid. S. 61. 30. 77. infra.*

## §. XXI.

*Vindicatur Trid. a ima reprehensione.*

Quæstio de traditionibus est facti potius, quam juris? Sit ita; attamen est facti revelati; ejusmodi consequenter, de qua certum est judicium Ecclesiæ. (a) Quod Anonymus insuper advertit, observavit pridem celeberrimus Concilii Trid. Theologus Melch. Canus Protestantes scilicet „ non adeo esse stupidos, ut „ verba Christi, quæ modo Christi esse „ constaret, infirmare pergant, quod „ non fuerint ab Evangelistis scripta. Sed „ quoniam quid Christus, quidve Apo- „ stoli fuerint locuti, eos solum nosse „ putant, qui Christum & Apostolos „ audiēre, colligunt, apud nos nunc ne

C „ unum



„ unum quidem dogma posse traditione  
 „ probari ; quin oportere omnes fidei  
 „ & religionis controversias sacrarum li-  
 „ terarum testimoniis componere ; finire  
 „ vero nihil , nisi quod sacris literis sit  
 „ expressum . “ (b) Quemadmodum igitur  
 Protestantes indefinite negabant om-  
 nem Traditionem ; ita Tridentinum inde-  
 finite declarat omnem veritatem conti-  
 neri *in libris scriptis* , & *sine scripto tradi-*  
*tionibus* ; non laborat supposito , sed di-  
 recte errori veritatem opponit .

(a) Vid. Joan. Opstraet *de loc. Theol. Diff. IV.*

*qu. 5. §. 3.*

(b) *De loc. Theol. lib. 3. cap. 1. & eod. lib. cap. po-*  
*stremo* , ita respondet Protestantibus : „ Ri-  
 diculum est credere , Apostolicas Tra-  
 ditiones non eadem fide ac diligentia posse  
 in fidelium cordibus asservari , ac si in  
 papyro scriberentur . Nam nec Scriptura  
 Spiritus Dei vivi facilius , quam atramenti  
 deletur , & sunt pleræque traditiones , quas  
 more & usu facillime videoas retineri . Quod  
 si Christi providentia Ecclesiæ Christianæ  
 deest , tum vero nec traditiones asserva-  
 tas ego defendo , nec certam Scripturæ  
 auctoritatem : utraque enim juxta res fi-  
 ne Dei procuratione non constat , quam  
 si tollas , neque traditio , nec Scriptura  
 vindicatur . “



## §. XXII.

Deinde ab altera.

Anathema Trid. non est vagum ; nam tantum præstitit, quantum definiri oportuit contra Protestantes. Genus enim illi potius, quam singulas negabant Traditionum species. Genus igitur stabiliri oportuit. Genus stabilitum est, dum est definitum veritatem contineri *in libris scriptis*, & *sine scripto traditionibus*, nec fuit necesse Catalogum texere, & singulas definire, quidquid ganniat de temporis brevitate Anonymus. (a) Unde quum Traditiones in genere complectantur omnes, seu Divino-Apostolicas, seu Ecclesiasticas, in eis individuandis non mediocris sit difficultas, possitque ex ignorantia & imbecillitate eis contraveniri ; Tridentinum congruenter anathema dicit solum in eos, qui *scientes*, & *prudentes* contempserint Traditiones, & punxit duntaxat eos, qui illas veluti humanae adinventiones, aut superstitiones observantias universim abjiciunt, cuiusmodi sunt hæretici.



(a) *Cit. cap. 2. §. 3. in nota observat;* „ Ni-  
„ mium fuisse in petendo Molinæum, po-  
„ stulantem indicem omnium traditionum;  
„ hic enim duorum mensium spatio, quo  
„ Sessionis IV. diversa & profundissimæ in-  
„ daginis capita ventilabantur, a Theologis  
„ confici haud poterat. Suffecit in thesi  
„ stabilitam fuisse autoritatem traditionis,  
„ atque in hypothesi per decursum Concilii  
„ unam alteramve, quæ ad rem faciebat,  
„ proponi. “ Suffecit, inquam, non quia  
angustiæ temporis prohibebant; sed quia  
causa Ecclesiæ cum hæreticis amplius non  
exigebat.

## C A P U T III.

### DE ECCLESIAE TESTIMONIO.

#### §. XXIII.

*Traditiones depositæ sunt apud Ecclesiam.*

Traditiones depositæ sunt apud Ecclesiam; quam enim Christus verbo & exemplo tradidit doctrinam, eandem ascensurus in cœlum jubet Apostolos tradi: *Euntes docete &c. Matth. 28. 19.* Discipuli fideles strenue executi sunt præceptum boni Magistri, etenim profecti prædicaverunt ubique, *Marc. 16. 20.* Paulus

com-



commendat Thimotheo Christi doctrinam custodiendam, tanquam pretiosum depositum, & committendam fidelibus hominibus, qui idonei sunt & aliis tradere. (a) Non est præsumendum, cœteros Apostolos, & post ipsos alios viros Apostolicos, fuisse segniores Paulo. Unde eruimus, Christum mandasse suam doctrinam propagari Traditione; & id fuisse executos Apostolos, eorumque Successores; esse proinde Traditiones depositas apud Ecclesiam.

(a) En verba Apostoli 1. *Tim.* 6. ¶. 20., „ O Thimothee! depositum custodi. “ 2. *Tim.* 2. ¶. 13. & 14. „ Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti - - - Bonum depositum custodi. “ Item 2. *Tim.* 2. ¶. 2. „ Et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. “

Porro quanta solicitudine viri Apostolici traditiones quæsiverint, conjiciamus ex S. Papia, qui *lib. 4. sui Operis.* „ Quod si quis, ait, interdum mihi occurrebat, qui cum Senioribus versatus fuisset, ex eo curiose sciscitabar, quænam essent Seniorum dicta: quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid ceteri Discipuli Domini dicere soliti essent; - - -



„ Neque enim ex librorum lectione tantam  
 „ me utilitatem capere posse existimabam,  
 „ quantam ex hominum adhuc superstitionem  
 „ viva voce. “ Commendat nobis exemplum  
 Papiæ curam Traditionum, et si ipse  
 abusus sit abiens post opinionem Millena-  
 riorum. Quod a Senioribus discebant,  
 fideliter tradebant posteris. Id conjicimus  
 ex S. Polycarpo, qui ut refert S. Irenæus  
 in Epist. ad Florinum apud Eusebium lib. 5.  
*Hist. Eccl. cap. 20.*, „ De Miraculis Domini  
 „ ac doctrina, prout ab iis, qui verbum  
 „ vitae ipsi conspexerant, acceperat, eodem  
 „ prorsus modo referebat, in omnibus cum  
 „ Scriptura sacra consentiens, “ de quibus  
 S. Irenæus subjungit: „ Hæc ego, divina  
 „ mihi largiente clementia, tunc Studiosus  
 „ audiebam, non in charta, sed in corde meo  
 „ audita describens: eademque per Dei  
 „ gratiam affidue repeto, ac revolvo. “

## §. XXIV.

*Quæ constat ex Pastoribus, & populo.*

Quum fides, ut ait Nicolaus I. (a)  
 „ universalis fit, quæ omnium commu-  
 „ nis est, quæ non solum ad Clericos,  
 „ verum etiam ad laicos, & omnes om-  
 „ nino pertinet Christianos, “ Tra-  
 ditionum, quæ fundant fidem, depositum  
 commissum est toti Ecclesiæ, prout hæc  
 cor-



corpus est ex Pastoribus & populis fidelibus compositum.

(a) *Epiſt. ad Michaelem Imp. relatus Can. 4. Dift. XCVI.*

\* Apte Lirinensis *Comm. advers. hæres cap. 22.*  
„ Quis est hodie Timotheus, nisi generaliter universa Ecclesia, vel specialiter totum corpus Præpositorum, qui integrum Divini cultus scientiam vel habere ipsi debent, vel aliis infundere? “

### §. XXV.

*Depositarius igitur est quoque rudis populus.*

Nec obstat, plerosque in populo esse rudes doctrina, hebetes, & tardos ad exponendum id leve, quod animo & fide tenent; nam sunt aliqua dogmata, quæ æque ad omnes, etiam ruddissimos stipites pertinent, quorum sensum & fidem praxi & modo agendi nobis produnt.

\* Ex. gr. rudis populus signat se signo crucis: frequentat Sacra menta: expectat Cœlum, & timet infernum: igitur prodit nobis fidem Trinitatis, Sacramentorum, immortalitatis animæ.



## §. XXVI.

*Sublimiorum sunt solum Sapientes.*

Sunt alia dogmata , de quibus si vulgi sententiam roges , perinde erit , ac si a cœco sensum colorum postulaveris . Eorum igitur Depositarii sunt prudentiores & sapientiores in Ecclesia .

\* Ex. gr. Frustra postulas a rudibus , an Epistola ad Hebræos sit Canonica : an Christus sit regnaturus mille annos . Vid . Canum de loc . Theol . lib . 4 . cap . postremo Resp . ad 14 .

## §. XXVII.

*Notæ Traditionis.*

Porro quia fide divina id creditur , quod revelatum est in verbo Dei ; Traditio non potest esse recentior ; immo tam antiqua esse debet , quam antiqua est revelatio . Et quia verbum Dei est verbum veritatis ; quæ una est , & simplex , & invariabilis ; Traditio eadem & una ubique esse debet , nec patitur alterationem a locorum diversitate , nec divisionem a contradictione aliquorum . Unde Traditio Divino - Apostolica Antiquitate , Uni-

*Universitate, Confessione fulciatur, necesse est.* (a)

(a) *Lirinensis Comm. advers. Hæref. cap. 3.*

\* Ex. gr. *Doctrina Donati fuit error, & non traditio, quod Donatistæ unius Africæ finibus conclusi, contrarias habuerint universas Ecclesias.* Non traditio, sed hæresis fuit Arianismus, etsi Arii venenum non jam portiunculam quandam, sed pene orbem totum contaminavisset; quia antiquæ fidei novellam perfidiam prætulit. *Vid. Lirinens. ibid. cap. 5.*

### §. XXVIII.

*Quando igitur adest Traditio?*

Quapropter quum Traditiones depositæ sint apud Ecclesiam; illud igitur omne & solum est de Traditione Divino-Apostolica, quod Ecclesiæ per orbem universæ, unanimiter, & perseveranter obtinent, tanquam a Deo sibi traditum.

### §. XXIX.

*Abbreviatur modus.*

Neque opus est, nos, Traditionem inquisituros, remotissimas adire Ecclesias, nec singularum perscrutari fidem; sunt enim singulæ filiales unitæ in uno si-



dei spiritu matricibus suis, Metropolitani, Primatibus, Patriarchalibus Ecclesiis; hæc dein omnes conspirant ad unam Romanam Ecclesiam, quæ centrum est universæ unitatis. Igitur singularum filialium fidem cognoscimus ex fide Matricium Ecclesiarum; fidem denique Matricium ex fide Romanæ Ecclesiæ. En tibi diminutum laborem, & abbreviatum iter.

\* Unde ad Matrices immediate mittit Tertullianus lib. de *Præscript. advers. Hæretic.* cap. 21.  
 „ Quid autem prædicaverint (Apostoli) id  
 „ est, quid illis Christus revelaverit, & hic  
 „ præscribam non aliter probari debere, ni  
 „ si per easdem Ecclesias, quas ipsi Apo  
 „ stoli condiderunt, ipsi eis prædicando,  
 „ tam *viva* (quod ajunt) *voce*, quam per  
 „ Epistolas postea. Si hæc ita sunt, con  
 „ stat proinde *omnem doctrinam*, quæ cum illis  
 „ Ecclesiis Apostolicis Matricibus, & ori  
 „ ginalibus fidei conspiret, veritati deputan  
 „ dam, id sine dubio tenentem, quod Ec  
 „ clesia ab Apostolis, Apostoli a Christo,  
 „ Christus a Deo suscepit. “ Laudat dein  
 „ illas Ecclesias *infra cap. 36.* „ Age jam, qui  
 „ voles curiositatem melius exercere in ne  
 „ gotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apo  
 „ stolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ  
 „ Apostolorum suis locis præsidentur, apud  
 „ quas ipsæ authenticæ literæ eorum reci  
 „ tan-

„ tantur, sonantes vocem, & repræsentan-  
 „ tes faciem unius cujusque. Proxime est  
 „ tibi Achaja, habes Corinthum. Si non  
 „ longe es a Macedonia, habes Philippos,  
 „ habes Theffalonicenses. Si potes in Asiam  
 „ tendere, habes Ephesum. Si autem Ita-  
 „ liae adjaces, habes Romam. Unde nobis  
 „ quoque auctoritas præsto est. *Statu felix*  
 „ *Ecclesia*, cui totam doctrinam Apostoli  
 „ cum sanguine suo profunderunt: ubi Pe-  
 „ trus Passioni Dominicæ adæquatur, ubi  
 „ Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apo-  
 „ stolus Joannes, poste aquam in oleum igne-  
 „ um demersus, nihil passus est, in Insulam  
 „ relegatur. Videamus, quid dixerit, quid  
 „ docuerit, quid cum Africanis quoque  
 „ Ecclesiis contefferarit. “ Ita Pres-  
 byter Afer. Non inficiar quidem posse  
 aliquas Ecclesias deficere subinde sub cura  
 minus oculatorum Pastorum; attamen non  
 ita, ut morbus diutius lateat, nec sentiatur  
 a majoribus Ecclesiis; Est enim Ecclesia  
 similis corpori humano, cuius pars minima  
 potest infirmari, quin statim membrum in-  
 tegrum, vel tota Machina ægrotet; ast si  
 vel leviuscula læsio non curetur, serpit,  
 serpendo afficit membrum, machinam  
 ipsam, ita ut tandem non liceat non  
 sentire.



## §. XXX.

*Colligitur ex praxi Ecclesiae.*

Hactenus Ecclesiam accepimus pro cœtu fidelium. Ecclesia sic accepta non est *judex*, sed *testis Traditionum*, ipsasque non tam *magistraliter* docet, quam factis suis & moribus *practice* eloquitur. Quoniam mores fidelium sunt tot voces, quæ manifestant fidem ipsorum internam, & spiritum illum, quo animantur, & quo prodeunt in operationes ; praxis Ecclesiae non minus infallibilis est, quam fides, ex qua fideles descendunt in praxim.

\* Ex. gr. Ecclesia baptizat infantes; ergo credit validum paedobaptismum : non rebaptizat ab Hæreticis baptizatos ; ergo validum credit baptismum hæreticorum ; & sicut errare non potest in fide; sic errare non potest in praxi baptizandi, vel non baptizandi, quæ fidei est effectus. Vid. Melch. Capnum *de loc. Theol. Lib. 4. cap. 4.*

## §. XXXI.

*Non tamen ex omni.*

Sed sunt aliquæ praxes, etiam bonæ, quæ regulantur opinione probabili,



bili, & non indubitata; unde fit etiam, ut has praxes posset mutare, & de facto aliquando mutaverit Ecclesia; quamobrem illa duntaxat praxis fundat fidei regulam, quæ ex certo judicio & fide divina procedit.

\* Ex. gr. Circa finem Seculi XVI. ac deinceps per annos plures communis erat Probabilium doctrina: *Præcice certum] esse, quicquid est speculative probabile*: praxis absolvendi consuetudinarios communis fuit in Ecclesia anno 1558. teste Petro Soto, & duravit Seculis pluribus, teste Anonymo anni 1675. Francisco Jacops, Alexandro a S. Theresia. Vid. Joan. Obistraet. *de loc. Theol. Dissert. III. qu. 3.*

### §. XXXII.

#### *Ratio discernendi praxes.*

Porro ad discernendas praxes dogmáticas a praxibus probabilibus solum, vel proflus erroneis arbitror esse attendum ad notas Traditionum. Nam nec opinio, nec error antiquus est, aut diuturnus, aut communis, aut sine contradictione.

\* Ecclesia Catholica non est orta cum Scholasticis: non concluditur sola Italia, aut Euro-



Europa: intra Europam Clerus & populus non semper suere iidem principiis, moribus, vita.

### §. XXXIII.

*Sed non caret difficultate.*

Fateor neque sic obvium esse praxes discriminare. Quis enim lustravit Orbem, & Matrices Ecclesiás? Quis novit facta, & praxim avorum nostrorum? Quis novit, qui illis contradixerint?

### §. XXXIV.

*Regula pro antiquitate.*

Antiquitati nescendae interim deserviat hæc regula: Siquid est hodie in Ecclesia communi fidelium praxi & confessione probatum; illudque nec in Scripturis continetur, nec dignoscitur ab hominibus institutum, imo exsuperat humanam potestatem & institutionem; id ex divino - Apostolica Traditione derivatur.

\* Ex. gr. Ecclesia universa baptizat infantes. Eos posse baptizari, saltem manifesto non constat ex Scriptura. Exsuperat humanam potest-



potestatem, iis concedere baptismum, pro quibus institutus non est: igitur posse baptizari infantes, Ecclesia habet ex divino-Apostolica Traditione. Consentit breviter Tertullianus lib. de Corona cap. 3. „ Hanc adeo „ inveteratam observationem, si nulla Scrip- „ tura determinavit, certe consuetudo cor- „ roboravit, quae sine dubio de Traditione „ ne manavit. *Quomodo enim usurpari quid „ potest si traditum prius non est?* “ Pro- fecto est saltem melior conditio possidentis arg. Reg. Juris 50. in 6. Adversanti igitur incumbit probare contrarium.

### §. XXXV.

#### *Regula pro Universitate.*

Universitati deinde cognoscendæ deserviant monumenta Ecclesiarum *Prædicta*, & *Doctrinalia*, & ex iis conjiciatur, quæ praxis sit, & quis sensus remotissi- marum Ecclesiarum: quid egerint, & quo ducti principio Majores nostri: quos denique experti sint Adversarios, quibus armis, & quo effectu.

\* Ignosce, si regulam promittens expectatio- nem eluserim: si non deduxerim ad terminum; sed primum a longe, quo sit eundum, indicaverim; est enim isthæc conditio hujus Sacræ Disciplinæ, ut nonnisi longis itine- neribus attingatur.

### §. XXXVI.



## §. XXXVI.

*Monumenta practica sunt.*

Monumenta practica sunt Symbola fidei, libri Symbolici, quales sunt Acta Conciliorum, Codices Canonum, Catechismi. Sunt Ecclesiarum Sacerdotalia, Ritualia, Cæremonialia, in quibus præscribuntur modi, & rationes conficiendorum Sacrorum, & administrandorum Sacramentorum. Sunt altaria, calices, fontes, aliaque utensilia, & instrumenta sacra, veneranda antiquitate subinde labilia, ex quibus colligimus usum, praxim, sensum Ecclesiæ.

\* Ex. gr. Baptisteria, & labentes Ecclesiolæ S. Joannis Baptistæ penes Cathedrales indicant, Baptismum non esse nupernum inventum: Sacerdotalia, qualia vidi Petenæ in Ecclesia Cathedrali, & illius Diœcesis Ecclesia Archipresbyterali Gallignanensi, in quibus ritus administrandi Sacramenti Pœnitentiæ præscribitur cum Catechismo, multis Orationibus, non dissimilis ab eo, quem ex Codice Siculo edidit Joannes Morinus ad finem sui *Commentarii Historici de Disciplina in administratione Sacram. Pœnit.* Dant mihi fundamentum conjiciendi, viguisse non tam pridem, nec adeo procul ab illa Ecclesia formam absolvendi deprecativam.



## C A P U T IV.

## DE PATRUM DOCTRINA.

§. XXXVII.

*Doctrinalia vero.*

Monumenta Traditionis Doctrinalia sunt libri Patrum Ecclesiæ, qui suis ævis verbo & opere Magistri fidelium extiterunt, & hac vita functi in suis Scriptis vivunt, suntque Magistri & Testes, singuli singularum ætatum, & omnes totius sacri systematis.

\* *Patres* erant in Republica Rom. Senatores, quod communi bono, tanquam Patresfamilias domui suæ, studerent. *Patres* erant in veteri Testamento Patriarchæ, quod capita essent familiarum, atque Doctores Traditionum. *Patres* sunt in Ecclesia illi Sancti viri, qui doctrina sua communi fidei consuluerunt, quorum agmen claudit S. Bernardus. Solent Patres dividi in tres ætates, quarum prima continet eos, qui tribus primis; altera, qui totidem proxime sequentibus sæculis; postrema, qui floruerunt ad tertium usque decimum Seculum, quo Scholastici in Scholis dominari cœperunt; non eam ob causam, quod defecerint post eam

D

æta-



æstatem Doctores in Ecclesia; sed quod una cum Scholastica disputandi methodo tunc recens inventa novi etiam tituli a Doctoribus fuerint usurpati. Vid. Anonym *de optimâ legendorum Ecclesiae Patrum Methodo part. 1. cap. 1. Edit. Augustæ Taurinorum*  
1742.

### §. XXXVIII.

*Etiam Laici sunt Doctores.*

Sunt quidem Magistri & Doctores publici, & ex officio Sacerdotes, ad quos dixit Christus: *Euntes docete;* sed non ita, ut id muneris fructuose etiam Laici non subiverint in Ecclesia.

\* Sic in Ecclesia, quæ erant Antiochiæ, inter Prophetas & Doctores numerantur *Barnabas* & *Simon*, & *Lucius Cyrenensis*, & *Manahen*, & *Saulus*, *Act. cap. 13. ¶ 1.* ex quibus Barnabas & Saulus erant tunc Laici, quia solum ¶ 2. seq. Jubet Spiritus S. segregari illos in opus, ad quos assumpfit eos, & imponi eis manus. Laici fuere *Justinus*, ejusque discipulus *Tatianus*, *Minutius Felix*, *Arnobius*, ejusque discipulus *Lactantius Firmianus*, *Hilarius*, qui *Augustinum* contra *Massilienses Monachos* adjuvit.

### §. XXXIX.

## §. XXXIX.

*Singuli faciunt probabile Argumentum.*

Patres singillatim probabile dunt  
taxat sui dicti faciunt argumentum. Homines enim erant, & humano solum locuti sunt spiritu, qui obnoxius est errori, cuius experimentum dederunt, dum lapsi sunt in iis, quæ postea ad fidem pertinere cognovimus.

\* Ineunte Seculo IX. Abbas Fridegisus Patrum auctoritatem comparabat cum auctoritate Prophetarum, & divinorum Scriptorum, quem post Agobardum olim Episcopum Lugdunensem refutat Canus *de loc. Theol. lib. 7. cap. 3. Concl. 2.*, „ Cœteroqui nemo quantumvis eruditus & Sanctus non interdum hallucinatur, non alicubi coecutit, non quandoque labitur. Sanctus vero is fuit, qui credidit ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos. Sanctus fuit, qui in Chiliastrarum dogma descendit. Sanctus fuit, qui animam hominis ex traduce esse putavit &c. “ Hinc recte hanc Jansenistarum thesim damnavit Alexander VIII. anno 1690. „ Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam *absolute* potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. “ Poteſt igitur absolute docere, animam hominis esse



ex traduce ? Absit. Nec vult id Augustinus , quem audi Epist. 19. ad Hieronymum : „ Nec te , mi frater , sentire aliud existimo : „ prorsus inquam , non te arbitror sic legi tuos „ libros velle tanquam Prophetarum , vel „ Apostolorum , de quorum Scriptis , quod „ omni errore careant , dubitare nefarium „ est. “ Vid. infra S. 45.

### §. XL.

*Probabilius pro numero, & antiquitate.*

Argumenti probabilitas crescit pro numero , & antiquitate Patrum. Præterquam enim plures oculi plura præsumantur videre ; quo plures Patres in idem consentiunt , eo magis contestantur se , non sui arbitrii ratione , sed sacræ Traditionis evidentia consentire. Denique quo sunt antiquiores , eo viciniores sunt fonti Traditionum , eoque ex purioribus rivulis præsumuntur hæsisse aquam æternæ vitæ , doctrinam scilicet fidei & morum.

\* Itaque primæ ætatis patribus plurimum reverentiae debetur , quod Apostolorum tempora proxime attigerint. Non minus colendi sunt mediæ ætatis Patres , quod id unum doceant , quod tradidere Majores ,  
et si



etsi antiquitate distent a priscis doctoribus. Postremæ ætatis Patres, quanquam nec vetustate cum primis, nec eruditione ac eloquentia cum aliis comparandi sint, quum tamen ea duntaxat colligant, quæ ab antiquis sparsa & sata fuere, eundem ac priores Jure quodam hæreditario percipere fructum putantur. Omnis enim illorum cura, & studium in eo versabatur, ut puram, illibatamque fidem servarent in præcipuis fidei capitibus, quamobrem errata, quorum redargui solent, parum attentæ potius, quam depravatæ illorum menti sunt attribuenda. Ita *Anonymous de Optim. Legen. Patr. meth. cit. par. 1. cap. 1.*

### §. XLI.

*Certum, si omnes in idem conspirent.*

Porro si conlatis inter se Patrum sententiis, „ eorum duntaxat qui diversis „ licet temporibus & locis in unius tamen „ Ecclesiæ Catholicæ communione & fi- „ de permanentes, Magistri probabiles „ extiterunt; “ quidquam Theologus, „ non unum, aut duos tantum, sed om- „ nes pariter uno eodemque consensu aper- „ te, frequenter, perseveranter tenuisse, „ scripsisse, docuisse cognoverit; id sibi „ quoque intelligat absque ulla dubitatione



„ credendum. “ Hæc ex antiquo canone Ecclesiæ docet Lirinenis (a) & quidem rectissime. Nam Ecclesia universa in credendo errare non potest. Patres sunt depositarii sublimiorum fidei & morum Traditionum. (b) Igitur si Patres universi errarent, falleret Depositum Ecclesiæ, & Ecclesia tota erraret, quod nefas est cogitare.

(a) *Comm. advers. hæref. cap. 4.* (b) *Vid. supra §. 26.*

\* A regula hic stabilita recessit, celebris Theologus Cardinalis Cajetanus. Is in *Præfat. Commentar. in Genes.* „ Si quando, inquit, „ occurrerit novus sensus textui consonus, „ quamvis a torrente Doctorum Sacrorum „ alienus, æquum se præbeat lector censore. „ rem. “ Et paulo post: „ Nullus, ait, „ detestetur novum Sacræ Scripturæ sensum, „ ex hoc quod diffonat a priscis Doctoribus: non enim *alligavit* Deus expositiōnem Scripturarum Sacrarum priscorum „ Doctorum sensibus, sed Scripturæ ipsi „ integræ sub Catholicæ Ecclesiæ censura, „ alioquin *spes* nobis & posteris tolleretur „ exponendi Scripturam Sacram, nisi trans- „ ferendo, ut ajunt, de libro in quinter- „ num. “ O vana *spes*! Quando enim utilius impendimus, quam quando genuinos eruimus sensus Scripturarum? Sensus vero toties genuini sunt, quoties sunt conformes

una-

unananimi consensui Patrum, qui depositarii sunt Traditionum. Deus autem alligavit sensum Scripturarum sensui Doctorum, quando voluit ipsas veraciter intelligi. Non intelliguntur veraciter sine traditione; nec traditiones sine testimonio Patrum. Igitur voluit ipsas intelligi juxta sensum Patrum. **C**astigat Cajetanum Canus *de loc. Theol. lib. 7. cap. 3.* ubi observat quoque, eundem errorrem fuisse Wicleffi, Petri Abailardi, & priudem Arii, Nestorii, Eutychis, Dioscori, & aliorum, quos pridem facto suo damnarunt Synodi Oecumanicæ V. VI. VII. & VIII. quæ laudarunt Patres, ut depositarios Traditionum. *Vid. Natal. Alex. Histor. Eccl. Sec. I. & II. Differ. XVI. § 10.* & nuper *Trid. Sess. IV. in Decr. de edit. & usu Sacr. libr. decrevit,* „ ut nemo suæ prudentiæ in- „ nixus, in rebus fidei & morum --- Scriptu- „ ram ad suos sensus contorquens --- „ contra unanimem consensem Patrum --- „ interpretari audeat. “ *Vid. supra §. 22. 23. 37.*

## §. XLII.

*Non ita; si impune unus, alterve dissentiat.*

Sed limita proxime dicta. Equidem est certa fide credendum, quod omnes, uno alterove dissentiente, tradunt; attamen tunc solum, quando unius



aut paucorum sententiam Ecclesia penitus expofit. Nam quamdiu reliquorum, licet pauciorum, opinatio ab Ecclesia non est rejecta; tandiu res non cefsat esse contraversa, divisi fuut animi Doctorum, non adest unitas sensus, quæ eft argumentum adſtentiae Divini Spiritus, & nota infallibilis veritatis, tandiu denique absolute diſſentire licet auctorati pluriū absque fidei detrimento.

\* Ex. gr. Fidei contraria eft opinio S. Cypriani & aliorum, ab hæreticis baptizatos eſſe rebaptizandos, quia explosa eft ab Ecclesia. Contra etſi falſa fit opinio S. Augustini & aliorum, Angelos eſſe corporeos; quia nondum damnata eft, tanquam fidei contraria ex communi Veterum ſententia evinci non potest. *Vid. Canum de loc. Theol. lib. 3. Concl. 3.*

### §. XLIII.

*Quid tunc fuadet prudentia?*

Sed fuadet prudentia, ut, relictis paucis, ſequamur pluralitatem. Erant enim Patres alieni ab ambitione, & fraude, ingenui, ſinceri. Si igitur plures conſentiant in eandem doctrinam; quum veri-



veritas una sit, nec patiatur divisionem; Signum est, eos consenserisse motos veritate. Quare tunc obligamur, vel ad ipsis assentiendum; vel ad inquirendum in rationes, quibus moti consenserunt.

\* Non dedecet examinare Patrum Scripta. Id docemur exemplo Augustini, qui *Epist. 19. ad Hieronymum* scribit: Scriptores non Canonicos, ita lego, ut quantalibet Sanctitatem te, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Verum meminerimus, summam esse rationem, quæ movet omnem Catholicum, si unanimiter omnes consentiant. *Vid. supra S. 26.*

## S. XLIV.

*Non temere procedendum.*

In examine non temere procedendum; sed præ oculis habendum, quod præscribit Facundus Episc. Hermianensis: (a) Quid ergo si aliquis Theodori, vel cuiusquam in Ecclesiæ pace defuncti nobis error appareret; adprobandus, atque sequendus est? Absit. Sed que-



„ rendum est prius, & cum instructionibus conferendum: ne quod culpabile nobis apparet, ab auctore suo alia intentione prolatum sit: nec ex eo, quod nobis videtur, non interrogatus judicandus est ille quid dixit; maxime si alia dixisse inveniatur contraria illi errori, in quem creditur incidisse. “

(a) Ad Justinianum Imp. pro defensione trium Capitulorum Concilii Calcedonensis lib. 22.

## §. XLV.

*Non vindicandi distorte.*

Quod si reipsa errasse deprehendantur; meminerimus ipsorum errores „ Luminarium esse defectus, ut ait Her- „ mianensis (a) quæ licet nonnunquam „ splendoris sui detrimenta sustineant; non „ tamen amittunt luminaria esse quod sunt. Imitemur modestiam Augustini, (b) qui „ reddens, ajebat, debitam re- „ verentiam, dignumque honorem, quan- „ tum valeo, persolvens pacifico Epi- „ scopo, & glorioso martyri Cypriano, „ audeo tamen dicere eum aliter sensisse „ de Schismaticis, vel Hæreticis bapti-

„ zan-



,, zandis, quam postea veritas prodidit, “  
& ab eis recedamus.

(a) *Ibid. lib. 6. (b) Lib. 6. de baptis. contra Donatis cap. 2.* Nec subeat dubitare, eo quod Augustinus recedat a Cypriano tunc, quando ejus error jam esset damnatus ab Ecclesia; nam scribit universim *Epist. 111.*, Neque enim quorumlibet disputationes, velut Scripturas Canonicas habere debemus; ut nobis non liceat, *Salva honorificentia,* quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere; si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel a nobis. *Talis ego sum in Scriptis aliorum, tales volo esse intelletores meorum.* “

### §. XLVI.

*Patres subinde sunt fervidiores.*

Sed in Patrum examine plura sunt observanda, quam ut hic recenseantur, quorum tractationem exactam a Patristis repetes. Interea ut alterius adminiculi necessitatem intelligamus; illud advertamus, Patres subinde fuisse fervidiores, cum adversus Ecclesiæ hostes pugnam consererent, ut ait Theodoretus, (a) quod



„ quod ipsum agricolis quoque stirpium  
„ cultoribus usuvenit: qui cum incurvam  
„ aliquam plantam viderint, non solum  
„ ad rectam normam erigunt: sed etiam  
„ ultra directum in partem alteram in-  
„ flectunt, ut ex vehementiori in con-  
„ trariam inclinatione ad rectum statum  
„ perducatur. “

(a) *Dialogo 3. adversus hæres.*

\* Ast cave, ne Patrum fervorem ita interpreteris, ut putas ipsos consulto, dum errantes ab errore abducere studuissent, in contrarium extreum æstu disputationis abripi se interdum sivisse. Vid. Card. Henric. de Noris *Vindic. Augustin. cap. 3.* Id de Patrum studio affirmare nos prohibet ipsorum ingenuitas, & Ecclesiæ firmitas, quæ minime indiget hujusmodi œconomia ad suam fidem fartam tectam tenendam. Sed fervidi erant Patres. quia intenti rei, quam agebant, in eam subinde ita perorabant, & disputabant, ut e conspectu dimisisse videantur veritatem connexam cum ea, quam tuebantur. Sic S. Augustinus in quæstione de arbitrio voluntatis, & Dei gratia ardua, & ut ipse ait *lib. de grat. Christi cap. 47.* ad discernendum difficiili, ita disputavit pro divina gratia in sua *Epistola ad Sixtum*, ut fuerint ex Monachis Adrumetinis in Africa, qui „ cum defenditur Dei gratia, putarent „ negari liberum arbitrarium, “ ad quorum in-



instructionem S. Doctor scripsit librum, cui  
titulus est, *de Gratia, & Libero arbitrio*, ut  
habet lib. 2. *Retract. cap. 66.*

### §. XLVII.

*Non scribunt omnia.*

Non tractant omnia; sed in unum  
aliquid intenti, alia prætermittunt; alia  
levius atque obscurius exponunt: ea præ-  
fertim de quibus nulla suo ævo exorta  
fuit quæstio: nulla adversantium hæresum  
veluti tempestas ac procella, contra  
quam acriore studio & vigilantia nitid  
oportuisset. Tunc minus sollicitos, &  
minus accuratos ipsa securitas reddebat.  
Hinc inepte ac maligne silentium ipsorum  
trahitur ad præjudicium deprehensi, dam-  
natique postmodum erroris.

\* Sic Chrysostomum *homil. ad Neophytos*, ubi  
negat, baptismi „ gratiam in remissione tan-  
„ tum peccatorum consistere, “ S. Augu-  
stinus *lib. 1. contra Julianum cap. 6.* ait, lo-  
qui de peccatis propriis; dein addit: „ At  
„ inquies, cur non ipse addidit propria?  
„ Cur putamus, nisi quia disputans in Ca-  
„ tholica Ecclesia, non se aliter intelligi ar-  
„ bitrabatur; tali quæstione nullus pulsar-  
„ ba-



„ batur , vobis nondum litigantibus , secu-  
„ rius loquebatur . “

### §. XLVIII.

*Continent multa ardua.*

Tempus edax antiquitatis , quæ extabant Patrum monumenta , multa nobis corroxit , alia confudit . Patres omnes non vixerunt eodem ævo : non erant ejusdem ingenii , indolis , linguæ : non nacti sunt eandem scribendi occasionem . Hæretici , quos oppugnarunt , iisdem vocabulis diversas hæreses sparserunt . Interpretes Patrum frequenter non vertunt exacte . Voces vim habent ex genio , & usu gentis , linguæ , literaturæ . Variæ fata experta est literatura . Igitur qui inoffenso pede Patres percurrere , & lustrare vellet , sit peritus oportet variæ literaturæ , linguarum , morum , hæresum , indolis , & genii Patrum , antiquitatis , omnigenæ denique sacræ & profanæ eruditionis .

\* Mabillonius *de Studiis Monasticis* scribit , se accepisse a non indocto viro , intellectum non iri Patres Græcos ab eo , qui Septuaginta ,

ta, Homerum, ac Demostenem autographa lingua non legerit. Scripsierunt vero Patres græce vel latine, si excipias S. Ephrem Diaconum Edessenum, Barcepham Episcopum Syrum, aliosque paucissimos, qui quum Arabice, Syriace, vel Aethiopice scripsierint, Græce redditi sunt, nec ultra lingua apparent primigenia. Nuper tamen Syriaco, Latinoque sermone editus est S. Ephrem opera & studio D. Assemon, cui eam curam demandaverat Cardinalis Quirini.

### §. XLIX.

*Privato ingenio igitur non subministrant  
necessarium Argumentum.*

Est igitur supra humanam imbecillitatem unanimem, verum, & genuinum sensum Patrum ex ipsorum Scriptis colligere; & talem præfertim, cui tuto, & certa fide confidamus. Sit enim excellentissima nostra peritia, & talis, qualis requiritur ad certam Patrum cognitionem; quis ille est, qui confidat suis privatis viribus adeo, ut sibi certa fide persuadeat, se non errasse in usu suæ facultatis, se esse assecutum certam omnium Patrum mentem?

CA-



# C A P U T V.

## DE ECCLESIÆ JUDICIO.

§. L.

*Sed opus est auctoritate Ecclesiæ.*

Superest itaque, ut confirmemur Ecclesiæ auctoritate, „ cujus est judicium re de vero sensu, & interpretatione „ Scripturarum Sanctorum, “ ut profitentur Catholici cum Trid. Sess. IV. in Decr. de edit. & usu Sacr. libr.

\* Sic fit, ut Ecclesia, sicut quælibet Civitas, regatur *Legibus*, seu *Scriptura*. *Moribus*, seu *Traditione*, *Responsis prudentum*, seu auctoritate *Patrum*, & *Constitutionibus Principum*, seu *Decretis & Definitionibus Ecclesiæ*. Eam auctoritatem Ecclesiæ passim vindicant Theologi, quos vide, & *Canum de loc. Theol. lib. 2. cap. 6. & seqq. & lib. 12. cap. 6. Praceptione prima*, ubi hæc notanter leguntur: „ Quod si in exploranda Scriptura, ræ intelligentia nullus est Ecclesiæ certus „ Judex, audeo dicere Rempublicam tuisse „ nullam stultius constitutam: nullum enim „ dissidiorum futurum finem, confessionem „ fidelium nullam, nullam fidei unitatem. “

§. LI.

❖ ❖ ❖ ❖ ❖

### §. LI.

*Quæ residet penes omnes Pastores.*

Ea auctoritas residet penes omnes Pastores. Nam omnibus Apostolis per Petrum promissæ sunt claves: (a) omnes missi sunt ea potestate, qua Christus missus erat a Patre æterno: (b) Apostolorum potestas debuit durare usque ad consummationem seculi. (c) Igitur durat in Successoribus ipsorum; ipsique sunt de jure divino Magistri & Judices in Ecclesia.

(a) *Matth. cap. 16. v. 19.* nam „ quod Petro „ dicitur, ceteris Apostolis dicitur, “ inquit S. Ambrosius in *Pjal. 38.* (b) *Joan. cap. 20. v. 21.* (c) *Matth. cap. 28. v. 20.*

### §. LII.

*Qua singuli recte utuntur.*

Rite ea utuntur singuli & divisi, & residentes in suis Diœcesibus. Nam dum Christus (a) executive conferebat auctoritatem Apostolis, jubebat illos *Euntes docere, Euntes in mundum universum prædicare omni creaturæ:* dividebat igitur illos, & a divisis voluit exerceri aucto-



ritatem, quam ipsis tradebat. Sic auctoritatem sibi traditam se intellexisse, facto suo testati sunt Apostoli, dum Epistolis suis Paulus Romanos, Corinthios, aliosque: Jacobus duodecim Judæorum tribus per diversa loca dispersas: Petrus Judæos per Asiam minorem sparsos: Iohannes Parthos, & piam fœminam *Electam* ejusque filios, & sibi charissimum *Cajum*: Judas fideles omnes, instruxerunt. Sic eandem auctoritatem Paulus (b) voluit intelligi a Timotheo Ephesiorum, & a Tito Cretæ Insulæ Episcopis. Sic eam intellexerunt Episcopi omni ævo, quos contra nascentes hærefes viriliter se opposuisse, manifestius est ex Scriptis ipsorum, quam ut id sit necesse probari.

(a) *Math. cap. 28. v. 19. Marc. cap. 16. v. 15.*

(b) Epistolæ Pauli per se loquuntur. Notanter commendat Thimotheo *Epist. 1. cap. 6. v. 20.*, „Depositnm custodi devitans profanæ vocum novitates.“ Igitur ipsius erat tutam a corruptione fidem præstare. Et *Epist. 2. cap. 4. v. 3. & seqq.* prædicit Timotheo, futurum tempus, quo superbientes Magistri sanam fidem, ut fabulam, traducerent, tunc ait illi: *Tu vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple, uno verbo: occurre, quam possis*



possis optime. Tito cap. 1. ¶ 7. & 9. pro principio præscribit: *Oportere Episcopum esse firmum in fide, ut possit & docere sanam doctrinam, & eos, qui contradicunt arguere.*

### §. LIII.

*Subinde recurrendum ad Sedes Majores.*

Quod si incendium majus fuisset, quam ut viribus & judicio unius Episcopi definiri & sufficienter extingui potuerit; tunc Episcopus periculum denunciabat vicinis, & contra refractarios a majoribus Sedibus exquirebat remedium, quibus licebat reformare judicia inferiora.

\* Eam disciplinam describit nobis Augustinus lib. 2. de Bapt. contra Donatis cap. 3 „ Episcoporum autem litteras, quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem auctoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est. Et ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano sine ullis ambagibus cedere: ipsaque plenaria sæpe priora a po-



„ sterioribus emendari , cum aliquo expe-  
 „ rimento verum aperitur , quod clausum  
 „ erat , & cognoscitur quod latebat ; “ plena-  
 „ ria scilicet in puncto disciplinæ , vel qua-  
 „ stione facti , vel celebrata , non servatis  
 „ servandis , in quibus casibus non sunt in-  
 „ fallibilia .

### §. LIV.

*Ejus disciplinæ recentiora vestigia.*

Causas fidei primitus fuisse judi-  
 catas ab Episcopis , & in Conciliis par-  
 ticularibus , eos solum latet , qui igno-  
 rant genuina prima tempora ; imo extant  
 ejus disciplinæ recentiora vestigia .

\* Ex. gr. *Petri Abaelardi* errores in Concilio Sveßionensi an. 1121. & Senonensi an. 1140. damnati sunt a Gallicanis Episcopis , quibus ob illam damnationem Innocentius II. gratulatus est. *Berengarius* in Concilio Parisi-ensi an. 1050. & Turonensi an. 1055. *Gote- scalchus* apud Carisiacum an. 853. *Elipandus* & *Felix* in Synodo Francofordiensi an. 794. damnati sunt. Vid. Natal. Alex. *Hist. Eccl.* Sec. XI. & XII. *Dissert. VIII.* §. 4.

### §. LV.



## §. LV.

*Potiori jure judicat Rom. Pontifex.*

Porro si Episcopi per orbem sunt Doctores, Custodes, & Vindices fidei; id potiori jure est Romanus Pontifex, qui Primatus prærogativa gaudet in Universa Ecclesia, & ideo per fidei definitiones recte studet conservandæ Unitati Ecclesiæ, cuius ipse est centrum. Sed hodie causæ fidei sunt Reservatum Summi Pontificis.

\* Illud Reservatum inductum est per octo, vel novem Decretales Isidorianas, quas pro Pontificia Infallibilitate producit Canus de loc. *Theolog. lib. 6. cap. 4.* Ceterum Petrus de Alliaco, postea Cardinalis, cum aliis deputatis a S. Facultate Parisiana Doctoribus contra Fr. Joannem de Montesono declaravit hanc propositionem: *Ad solum Summum Pontificem pertinet eorum, quæ tangunt fidem, examinatio, & decisio: continere manifestam hæresim, imo multas hæreses.* Vid. Natal. Alex. cit. *Dissert. VIII. §. 24.*

## §. LVI.

*Quibus debemus obsequium & reverentiam, internam etiam.*

Per se consequitur, deberi obsequium & reverentiam dictis Summi Pontificis,



Conciliarum , Episcoporum Judiciis. Etenim posse pro jure suo efficaciter decernere , & debere obedire sunt correlativa. Igitur si est potestas decernendi in Prælatis ; est quoque in fidelibus obligatio parandi definitis , eaque non externa ; sed in animo & interna ; est enim fides animi magis , quam oris. Profecto fideles pie , humiliter , & pacifice semper suscepserunt laudata judicia , persuasi illa esse doctrinam Magistrorum Ecclesiæ , vocem Pastorum , & eorum , quibus dictum est , qui vos audit , me audit , (a) ita ut ipsi Hæretici ausi non sint controvertere , an ea judicia sint vera , vel falsa , & eo nomine illa eludere ; sed recurrerint ad alios colores : subreptum videlicet fuisse Episcopis : fuisse sibi impactas calumnias , vel ad alias hujusmodi excusationes. Nec est timendum a labilitate præfatorum judiciorum ; quia pertinet ad divinum consilium , ut si error contingat , is pie creditibus non noceat , prodeat , nec amplius propagetur.

(a) *Luc. cap. 10. v. 16.*

\* Hinc quamvis in quæstionibus facti non revelati non sit irrefragabile Universalis etiam Ecclesiæ judicium ; Vid. *Joan. Opstraet de*



*loc. Theol. Dissert. IV. q.5. §. 2. num. 3.* merito tamen S Facultas Parisiana die 1. Septemb. anno 1704. occasione famosi casus conscientiæ, cuius hæc erat propositio: *Il lui suffit, d'avoir une soumission de respectet de silence, peur ce que l'Eglise a decide sur de la fait de Jansenius;* quam declaravit, „ damnandam, „ ut temerariam, scandalosam, injuriosam „ Summis Pontificibus, & Episcopis Galliæ, „ atque etiam ut præbentem occasionem re- „ novandæ ex integro post damnationem „ Jansenii doctrinæ, & in quantum eadem „ propositione dicitur illud obsequium re- „ verentiæ, & silentii sufficere etiam iis, „ qui subscripsere formulæ fidei, quæ ad- „ jectum habet juramentum ex sanctione „ Alexandri VII. prædictis notis hanc esse „ addendam, ut & adjicit, nempe quod „ foveat mendacia, & perjuria. “ Hanc declarationem confirmavit Clemens XI. Const. *Vineam Domini Sabaoth.* die 15. Jun. 1705. quam solemni plausu recepit Gallia.

## §. LVII.

*Non fundant necessarium fidei argumentum.*

Non tamen necessario, & conlusione ad fidem Catholicam pertinente ex iis concludit Theologus. Nam fidei Catholicæ assensum debemus iis duntaxat, quæ in verbo Dei revelata nobis credenda proponit Universalis Ecclesia. Atqui



**Universalis Ecclesia non est Summus Pontifex , non quocunque particulare Concilium, minus Episcopus. Igitur ipsorum judiciis fidei Catholicæ assensum non debemus , nec ex iis necessario concludimus.**

\* Immerito quod afferui de Judicio Summi Pontificis , offendit nonnulos Theologos. Nam Celeber. Franciscus Suarez *de fide disp. 4. Sect. 7. num. 11.* quando, inquit, Pontifex solum adest per Legatos sine instructione particulari , & totum Concilium aliquid definit cum Legatis , est grave dubium , an tale Concilium possit errare. *Nam in hoc sunt opiniones inter Catholicos.* Parisienses enim & alii , qui credunt tale Concilium esse supra Pontificem , consequenter affirmant ejus definitionem esse infallibilem , quia est a suprema potestate , & illud Concilium universalem Ecclesiam repræsentat. Contrarium vero docet Cajetanus , & alii , quia verissimum est , Papam esse supra Concilium. Ego autem breviter censeo , Concilium illud non esse Regulam fidei , quia ejus auctoritas infallibilis est sub opinione. Ita Suarez apud Ill. Bossuet *Defens. Declar. Cleri Gallic. part. 1. lib. 2. cap. 10.* Sed etiam auctoritas infallibilis Papæ sub opinione est; id non diffitetur Suarez: id ipse sentio. *Vid. Joan. Opstraet de loc. Theol. Diff. V. qu. 4.* Ergo non est Regula fidei.

Sed

Sed demus interea , quod scribunt Illusterrissimi Adrianus , & Petrus de Wallenburch  
 in Examine 3. de Principio Catholicō Tracta-  
 tus Generalis de Controversiis Fidei §. De  
 propositione Ecclesiæ. Propos. 2. „ Longe ve-  
 „ rius esse , infallibilitatem Pontificiæ Defi-  
 „ nitionis & Propositionis non pendere a  
 „ Concilio Generali ; adeoque Pontificem  
 „ etiam circa dubiam aliquam fidei quæstio-  
 „ nem infallibiliter definire : “ Sit *hec longe*  
*communior , & verior Theologorum Sententia* ,  
 ut *ibid.* affirmant laudati Præsules ; attamen  
*ibid.* Prop. 3. fatentur , „ non esse certam ,  
 „ nec apud Catholicos undequaque extra Con-  
 „ troversiam ; imo inter ipsos Catholicos  
 „ etiamnum controversam “ docent ex  
 Tannero expresse tom. 3. disp. 1. qu. 4. dub.  
 6. assert. 6. n. 248. Alphonso de Castro de  
 justa hæretic. punit. lib. cap. 5. quod minime  
 dubito , hodie liberius afferuissent post ex-  
 cussos pulveres imposturæ Isidorianæ , qui  
 adeo offecerunt luminibus Doctis. Cani , ut  
 postquam Pontificiam infallibilitatem super-  
 ædificasset potissimum falsis Decretalibus *de loc.* Theol. lib. 6. cap. 4. contrariam senten-  
 tiam neget esse opinionem , *ibid.* „ si opinio  
 „ tamen dicenda est , quæ adeo certis ar-  
 „ gumentis refelletur , “ & eam affirmet er-  
 rorem damnabilem , *ibid cap. 7.* „ Nolumus  
 „ hic nos Ecclesiæ sententiam prævenire ,  
 „ sed si ad Generale Concilium referatur ,  
 „ hæreseos nota errori illi inuretur . “ Conse-  
 quitur igitur ex hac non recentiorum , &  
 studiis addictorum doctrina , Papæ auctorita-



tem non esse infallibilem fidei Regulam. Hinc rectissime statuunt Doctissimi Colonensis, & Moguntinus Suffraganei in *Laud. Tract.*  
*Propos. 3.* „ In disputatione contra Adversarios fidei Catholicæ satis est, id quod apud omnes Catholicos in Confesso, & de fide certum, atque adeo proprie contra ipsos controversum est, defendendum suscipere, Pontificem nimirum, si cum Generali Concilio aliquid circa fidem definiat, errare in definiendo non posse; “ in quo convenire omnes Catholicos testentur *Laud. Præsules.* *Vid. supra S. 42.*

## S. LVIII.

*Sed solum probabile.*

Ex iisdem tamen concludit probabiliter. Ecquidem et si Rom. Pontificis Judicium non sit irreformabile; est nihilominus Judicium Episcopi illius Ecclesiæ, cuius fides *annunciatur in universo mundo*, (a) & ad quam propter potentiam Principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam. (b) Conciliis Provinciaibus nemo denegabit probabilitatem, qui cogitaverit, hactenus illa raro defecisse, & rectam ut plurimum tenuisse fidem. (c) Sunt quoque Judicia Episcoporum, et si non conferenda cum prioribus, probabili-

lia,



lia, utpote eorum, quos *Spiritus Sanctus*  
*posuit regere Ecclesiam Dei.* *Act. cap. 20.*

(a) *Irenæus lib. 1. cap. 3.* (b) *Idem lib. 3. cap. 3.* *Vid. supra §. 29.* (c) *Canus de loc. Theol. lib. 5. cap. 4 Concl. 6.* *observat ex innumeris Conciliis Provincialibus vix quinque aut sex reperiri, quæ a recta definiendi ratione, ac via declinarint.*

### §. LIX.

*Necessarium vero, si accedat consensus Ecclesiæ.*

Subinde subministrant Theologo necessarium argumentum; Si ipsis vide-licet accedat tacitus, vel expressus Universæ Ecclesiæ consensus; hoc est, si quod Papa, vel Concilium aliquod defi-nierit, unanimi & perseverante praxi om-nium, tum Pastorum, tum Fidelium, pro-batum sit; vel tacite saltem, si scilicet illud toto orbe vulgatum sit, nec pecu-liariter reprobatum; errorem enim uni-versalem, diuturnum Ecclesia, quemad-modum praxi sua laudare; sic diutius tacita dissimulare nequit, quum „ error, cui non resistitur, approbe-tur; “ repugnet vero Ecclesiam uni-

ver-



versam, etiam prout cœtus est ex Pa-  
storibus, & Fidelibus, errare. (b)

(a) *Can. Error. Dist. 23.* (b) *Vid. supra §. 30.*

\* Si excipias fors Apostolica, primis tribus  
Seculis nulla extiterunt Concilia Generalia;  
extiterut vero iisdem, & posterioribus Secu-  
lis innumeræ hæreses, quibus suffecit op-  
ponere, *vel* Particulare Judicium Papale,  
Synodale, Episcopale; *vel* apertam fidei  
veritatem, & hæresis vanitatem; *vel* Docto-  
rem Catholicum, qui hæresim impugnaret,  
post quæ accedente consensu Universalis  
Ecclesiæ hæreses dissipatæ sunt. Hæc col-  
ligimus ex Augustino lib. 4. ad Bonifacium  
cap. 12 „ Quid ergo est, quod dicunt de  
„ Simplicibus Episcopis sine Congregatione  
„ in locis suis sedentibus extorta subscriptio  
„ est? Nunquid . . . Congregatione Sy-  
„ nodi opus erat, ut aperta pernicies dam-  
„ naretur; quasi nulla hæresis aliquando,  
„ nisi Synodi Congregatione damnata sit.  
„ Cum potius rarissimæ inveniantur, prop-  
„ ter quas damnandas necessitas talis exti-  
„ terit, multoque fint incomparabiliter plu-  
„ res, quæ ubi extiterunt, illic improbari,  
„ damnarique meruerunt. Atque inde per  
„ ceteras terras devitandæ innotescere po-  
„ tuerunt. “



## §. LX.

*Item probabilius, si accedat Judicium  
Episcoporum disperforum.*

Quantam fidem faciant Episcopi, si universi per orbem sparsi, prælucente judicio Summi Pontificis, vel Concilii alicujus particularis, suis iudiciis concurrant ad probandam eandem veritatem? apte hic exquires. Ego arbitror, hujusmodi judicium esse irrefragabile. Constat enim ex dictis, (a) Episcopos dispersos per orbem esse veros, & legitimos Judices, & Interpretes verbi Dei. Universis promissus est Spiritus Sanctus. Idem Spiritus veritatis ad robur, & firmitatem prædicationis promittitur Apostolis dispergendis, missis in mundum: *Euntes... docete... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* (b) Quidni igitur etsi singuli sint errori obnoxii; quum pecculariter afflitat Divinus Spiritus omnibus, omnesque sequatur; omnes etsi locis divisi infallibles sunt in suo Judicio?

(a) *Supra §. 52.* (b) *Matth. cap. 28. v. 19.  
¶ 20.*



\* Quam tueor sententiam immerito afferit *parum firmam* Justinus Febronius lib. de *Statu Eccl.* & legit. *Potest. Rom. Pontif. cap. 5.* *J. 8* vultque ex Gerfonio, & Almaino Ecclæ esse quidem datam *irrefragabilis* judicii auctoritatem; attamen ut talem nonnisi *sub modo*, hoc est, congregatae in Concilio. Ast repeto esse *firmissimam*; sed fateor nondum inter omnes Catholicos in confessio, & fide Catholica certam, seu talem, quæ ab omnibus defendi *necessario* debeat, qui Ecclæ Catholicae filii sunt. Profecto est Regula Veroniana Fidei Generalis: „ Illud „ omne, & solum esse de Fide Catholica, „ quod est revelatum in verbo Dei, & pro „ positum omnibus ab Ecclesia Catholica, „ Fide Divina credendum. “ Quæ sit illa Ecclesia, & quomodo proponat, *infra* ita declarat: „ Sed quo proponente illud „ Verbum, & ejus sensum docente? Præ- „ fertim ut sit *Catholica*, id est, Fideles „ omnes adstringat? Quo? Nisi: *Concilio Catholico*, id est, *Universali*, sub direc- „ tione Pontificis expresse aliquid definiente, „ aut annunciantे, aut sane *ex sensu omnium*, „ tum *Pastorum*, tum *Fidelium*, *velut practi-* „ *ce eloquente*. Ita in Excerpto ex Regula Fidei Francisci Veronii, edito Viennæ typis Gregorii Kurtzbock 1743. Doctrina Veronii est approbata ab omnibus Sorbonnæ Doctoribus in plena Congregatione Faculta- tis Theologicæ, recepta anno 1645. in Ge- nerali Conventu ab Universo Clero Gallica- no, laudata a Doctiss. Episcopis de Wallen- burch.

burch. In Regula Veroniana dupliciter Ecclesia proponit credenda, *testimonio*, seu praxi universæ Ecclesiæ extra Concilium, & *judicio* Episcoporum in Concilio congregatorum. Docet regula Veroniana, quod est extra Controversiam apud Catholicos. Igitur indicat non esse extra controversiam *Propositionem*, quæ sit per *judicium Episcoporum dispersorum*. Unde arg. propos. 3. DD. de Wallenburch *supra* §. 57. irrefragabilitas illius Judicii, & conclusiones inde deductæ contra fidei adversarios non sunt urgendæ, ut dogma Catholicum. Si tamen omnes Episcopi consentiant; efficaciter consensus ipsorum urgeri potest, non tam *ut judicium*, quam *ut testimonium Traditionis*, quum sublimiorum ipsi sint Depositarii & Testes. Sed ad multam cautelam recogitandum, Pelagianos pertinaces in suo errore, & superbos petuisse, „ ut propter se Orientis, & Occidentis Synodus congregaretur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere “ nequibant, saltem commovere “ conabantur „ post factum illis competens sufficiensque iudicium, “ teste Augustino lib. 4. ad Bonifacium c. 12. Cum omnibus bonis S. Doctor clamabat: „ Redarguite contradicentes, & resistentes ad nos perducite. Jam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad Secundem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est. “ Serm. de verb. Apost. cap. 10. Non opus erat Concilio Generali; interea congregato contra Ne-



Nestorium Ephesino damnatus est Pelagiorum Coripheus Cœlestius *Can. 1. & 4.*  
 Patres „ perlectis in S. Synodo Commentariorum Actis in depositione impiorum „ Pelagianorum, & Cœlestianorum, quæ a „ tua pietate de ipsis constituta sunt, judicarunt & ipsi “ solida, firmaque permanere, ut ajunt in *Epist. Synod. ad Cœlestium*, quorum factum collaudavit Cœlestinus in sua *Epist. ad Concil. Ephes.* quod obstinatis abstulerint *extremum illud*, *quod spem de Synodo hucusque gesserunt.*

### §. LXI.

*Ecclesia ultimato judicat in Concilio Generali.*

Magis arduis controversiis occurritur ultimato & irrefragabili legitimi Oecumenici Concilii judicio, quo per Episcopos, tanquam visibilia instrumenta, Paracletus Spiritus Sanctus, quem missurus erat Pater cœlestis in nomine Christi, loquitur, & docet nos omnia, quæcunque dixit nobis Magister noster Christus, manens in terra. (a) Quemadmodum igitur vera sunt, quæ revellavit Ecclesiæ veritas Christus; ita vera sunt, quæ per Concilium Generale loquitur Paracletus Spiritus veritatis.

(a) *Ioan.*



(a) *Joan. cap. 14. v. 25.*

\* Concilium Generale non potest deviare a veritate; nam „ id Religionis æternum servare vandaæ necessitas postulat; id humanæ rationis imbecillitas exigit; id Christus pollicitus est; id ubique, & semper, & concorditer credidit Ecclesia Dei, statuerunt Concilia, tradiderunt Patres. “ Ita breviter, & pulchre Muratorius de *Ingenior. moderat.* in *Relig. negot. lib. 2. cap. 23. §. 1.*

§. LXII.

*Exigente publica necessitate, aut utilitate.*

Concilia Generalia non celebantur, nisi exigente publica Fidelium necessitate, aut utilitate; non enim expedit, nec decet Summam Ecclesiæ Majestatem detineri iis, quæ expediri possunt solicitudine inferiorum Magistratum.

\* Alia sunt omnino, alia sunt ex parte Fidelibus necessaria. Prima appellamus, quæ qui jam adultus, & mentis compos ignorat, a Regno Dei arcebitur. Fidelibus ex parte necessaria nuncupamus, quæ ignorare quidem licet, sed aut negare, aut in iis errare nefas est. Utilia sunt, quæ homini Christiano conducunt, ut facilius cœlum consequatur, & infernum evitet; hæcque alia in mera contemplatione versantur, & fidem tantummodo postulant; alia præter contem-



plationem, & fidem, actionem quoque respiciunt, qualia sunt, quæ de moribus in Religione traduntur. Concilium igitur ex. gr. ex publica necessitate providet, ut fideles habeant rectam fidem credibilium de necessitate medii; item eorum, quorum error everteret fidem, & bonos mores, non aliquorum cura particulari emendabilium; sed totius Ecclesiæ. Contra nec ex necessitate, nec ex utilitate dirimit controversias, quæ quidem aliquatenus contingunt Revelacionem divinam; attamen absque fidei, & morum detrimento, non tam in Ecclesia, quam in angulis otiosorum, disputantur a fertili cerebro Scholasticorum; quas si definire vellet, utpote quum sint infinitæ, quam supervacaneam, & incredibilem sibi crearet molestiam? & quam amplam ingeniiis immoderate curiosis occasionem non daret novas excogitandi quæstiones? Vid. Murator. cit. lib. 1. cap. 13.

### §. LXIII.

*Irrefragabiliter solum ex Revelatis.*

Infragabili Judicio non decernunt, nisi de iis, quæ in verbo Dei scripto, seu tradito continentur. Nam Christus ad hoc erat venturus in mundum, ut nobis perfectam annunciatet doctrinam. (a) Id præstitit, & eandem jussit Apostolos

præ-



prædicare doctrinam, in eaque incorrupte prædicanda ipsis promisit Paracletum Spiritum. (b) Non igitur Ecclesia facit nova dogmata, quia non est organum novæ revelationis; neque est opus nova revelatione; sed solum Judex, & Interpres est revelationis primitus factæ: ex verbo Dei siqua sunt implicita, inchoata, & informia per rectam interpretationem, & legitimam argumentationem eruit, accurat, & polit; siqua jam expressa, & enucleata, consolidat, & firmat; siqua jam confirmata & definita, custodit. (c)

(a) *Joan. cap. 4. v. 25.* (b) *Matth. cap. 28. v. 20.* & *Joan. cap. 14. v. 24.* & seqq. (c) *Lirinens. Commun. advers. hæref. capp. 22.* & seqq.

## §. LXIV.

*Unde est regula dogmatis discernendi.*

Ea igitur solum Definitio Dogmatica est, quæ est eorum, quæ & potuerunt revelari a Deo, & a Christo, vel a Spiritu Sancto Apostolis tradi Ecclesiæ communicanda, & de facto revelata & tradita sunt. Si alterutrum desit; dogma non est.



\* Non negamus potuisse Deum nova aliqua revelare a temporibus Apostolorum ; sed nisi mancam & imperfectam velimus dicere Christi doctrinam ; id minime fuisse necessarium , affirmemus oportet. Hinc Revelationes , quæ dicuntur factæ ad solatium quarundam Sanctorum fœminarum , Brigittæ , Catharinæ Bononiensis , Catharinæ Senensis , Angelæ Fulginatis , Hildegardis , Gertrudis , quia factæ non sunt ad necessitatem Ecclesiæ ; non fundant commune Ecclesiæ dogma , nec ullus hactenus gravis Theologus eas judicavit habere fidei certitudinem . Ita Muratori . *de ingen. moderat. lib. 1. cap. 17.*

### §. LXV.

*Fides subinde non deneganda etiam non Revelatis.*

Cave tamen , ne lædas subinde conscientiam non credendo Ecclesiæ ob defectum Revelationis ; fit enim sæpe *Conclusio ex præmissis* , altera revelata ; altera moraliter evidenti , ita ut evidentiā ejus contestetur assensus Ecclesiæ , & populi multitudo . Istiusmodi *Conclusio* non est quidem dogma Catholicum , quod credere tenentur , quicumque sunt filii Ecclesiæ ; est tamen dogma Theologicum , cui refragari non licet ex eo solum



solum motivo , quod revelatum non sit,  
nisi evertere velimus Ecclesiam ; imo  
Rempublicam Universam : imo nisi veli-  
mus nihil credere , & pejores esse Aca-  
demicis & Scepticis.

\* Ex. gr. De fide est : *colendum esse verum Rom. Pontificem : Infallibile esse legitimū Concilium Oecumenicum* ; ast solum evidens est : *Pium VI. esse verum Pontificem* , evi-  
dentialia contestata ab Ecclesia , & populi con-  
fessione : evidens est , *fuisse vere Episcopos* ,  
*qui confederunt in Concilio Trid.* hoc tamen  
prætextu non absque crimine negaretur *cultus Pio VI. Fides Concilio Trid.* Vide Mu-  
rator *de Ingen. moderat. lib. 1. cap. 18.* Hu-  
jusmodi dubietas quæcumque purgatur per  
consequentem unanimem , constantem Ec-  
clesiæ consensum ; sic ex. gr. Si non fuissent  
veri Episcopi , qui Tridenti confederant ,  
illius Concilii definitiones vim obtinuissent  
a concordi , & diuturna ducentorum jam  
annorum confessione.

### §. LXVI.

*Definiunt adhibita diligentia.*

Quia Concilia eruunt ex Verbo  
Dei dogmata , & Verbi Dei testis ,  
& interpres est Ecclesia , vel moribus &  
praxi Fidelium , vel Patrum doctrina



eloquens sensum verbi Dei ; facile conjicimus magna opus esse attentione , & solicitudine in definiendis fidei dogmatibus.

\* Præluxerunt exemplo Apostoli , qui nonnisi multa solicitudine : *Cum autem magna conquisitio fieret, Act. cap. 15. v. 7.* quæstionem de necessitate observantiæ legalis defini-  
verunt.

### §. LXVII.

*Hinc non definiunt , nisi quod est in  
quæstione.*

Et quia ista solicitude cadit in illud , quod est de instituto quæstionis definiendæ ; Conciliorum decreta nonnisi in eo puncto judicium certum continent , quod concernit præcipuum institutum ; cetera autem „ quæ in Conciliorum de- „ cretis, inquit Canus , (a) *vel explicandi* „ *gratia inducuntur , vel ut objectioni* „ *respondeatur , vel etiam obiter , & in* „ *transcurso præter institutum præci-* „ *pum , de quo erat potissimum con-* „ *troversia ; ea non pertinent ad fidem ,* „ *hoc est , non sunt Catholicæ fidei ju-* „ *dicia. “*

(a) *Lib. 5. de loc. Theol. cap. 5. qu. 4.*

\* Ex.

\* Ex. gr. Innocentius III. in Conc. Lateran.  
 IV. relatus cap. Firmiter. 1. de Summ. Trinit. definit. „ Firmiter credimus, & simpli-  
 „ citer confitemur, quod unus solus est ve-  
 „ rus Deus . . . Creator omnium visibilium  
 „ & invisibilium, spiritualium, & corpora-  
 „ lium: qui sua omnipotenti virtute simul  
 „ ab initio temporis utramque de nihilo con-  
 „ didit Creaturam, spiritualem & corpora-  
 „ lem; angelicam videlicet & mundanam. “  
 id solum definit: *Deum esse Creatorem om-  
 nium*; & cetera ponit explicandi gratia. Cer-  
 te post Innocentium suere Philosophi, &  
 Theologi, qui assenserunt, *Angelos esse cor-  
 poreos*: & *Angelos fuisse creatos ante mundum  
 corporeum non esse fidei contrarium putavit*  
 S. Thomas 1. par. qu. 61. ar. 3.

### §. LXVIII.

*Sunt quoque firma motiva definitionis.*

Sed Patres in Conciliis moventur ad definiendum certis quibusdam rationibus. Rationes igitur illas necesse est esse non minus irrefragabiles, quam ipsam definitionem; illis enim nutantibus, quomodo imposita definitionum moles firma subsistet?

\* Solent Concilia plures conglomerare ratio-  
 nes, alias certas, alias verisimiles, & pro-



babiles, quarum omnium summum pondus est a certa dogmatis, quod rationibus suadetur, existentia in Scriptura, & Traditione; sed singulas rationes esse certas non est necesse. Sic dum Patres citant in definendo plures textus Scripturæ; non est necesse singulorum textuum sensum esse certum, sed aliquorum sufficit esse probabilem. Vid. Murator. *de Ingen. moderat.* lib. 1, cap. 13.

### §. LXIX.

*Reliqua vel probabilia sunt, vel non sunt contra fidem.*

Reliqua vero, quæ in Concilio-  
rum definitionibus obiter, & in transcursu  
præter institutum præcipuum proferuntur,  
nec ibidem repudiantur, quamquam fidei  
non habeant firmitatem, semper tamen  
sequitur, aut illa esse præter fidem, aut  
non esse contra fidem. Ea enim ex pro-  
fesso & aperte non approbando, Ecclesia  
decretis fidei nondum intulit. Et rursus  
non refellendo, tacite docuit, ea a fidei  
doctrina minime abhorrere. Dissimulare  
enim Conciliis licet, quæ ad fidem non  
pertinent: at fidei repugnantia dissimulare  
non licet; error enim cui non resistitur,  
approbatur; nisi forte ejusmodi dissimu-  
latio



latio inde oriatur, quod obvie non pa-teant, requirantque maturius examen.

\* Ex. gr. Angelos non præextitisse mundo corporeo, S. Thomas 1. par. qu. 61. ar. 3. putavit esse probabilius. Ut probabilius id adoptavit Innocentius III. in cit. cap. Fir-miter, vel saltem ut non contrarium Fidei. Vid. Murator. cit. lib. 1. cap. 13.

### §. LXX.

*Subinde definiunt opinando.*

Definitiones Conciliares non sunt accipiendæ ultra intentionem Concilii; quapropter si Concilium definit solum opinando aliquid, ejus definitio, non tam definitio, quam opinio est, & solum sup-peditat probabile argumentum.

\* Ex. gr. Durandi opinio, qua arbitratur Christianos ex paganismo conversos posse retinere plures uxores, quas sibi desponderunt ante baptismum, quod ficut Patriarchæ antiqui; sic Pagani de jure naturæ valide con-trahant cum pluribus, nec unda baptismi solvat, quod jure naturæ validum est; non reprobatur cap. 8. de Divort. nam solum dicitur: „ Verum absonum hoc videtur & „ inimicum fidei Christianæ.“ Verbum ve-



ro videtur judiciorum infirmat certitudinem.  
Ita Canus lib. 5. de loc. Theol. cap. 5.

### §. LXXI.

*Subinde certo iudicio.*

Et tunc duntaxat certum Conciliorum Judicium est, quando declarant satis, se ex certo & ultimato iudicio quidpiam definivisse. Absque piaculo enim refragari non licet Definitionibus Conciliorum. Igitur ut debitum ipsis præstetur obsequium, satis proponi illas necesse est.

### §. LXXII.

*Cujus notæ sunt. Ima Si id manifesto dicant.*

Subinde id Concilium expressis, & definitis verbis declarat, se videlicet definire, ac terminare.

\* Ex. gr. *Trid. Seff. XIII. in Decreto de Euchar. cap. 1. ait.*, „Principio docet Sancta Sy-  
„ nodus, & aperte, ac simpliciter profitetur,  
„ in almo S. Eucharistiae Sacramento, post  
„ post panis & vini consecrationem, D. N.  
„ Jesum Christum, verum Deum atque ho-  
„ minem, vere, realiter, ac substantialiter  
„ sub



„ sub specie illarum rerum sensibilium con-  
„ tineri. “

### §. LXXIII.

#### 2da *Anathema latum.*

Si vero obscurius exprimit Concilium judicium suum; illud debet colligi ex notis aliquibus; qualis est, si *anathema* ferat in contrarium sentientes. Anathema enim præscindit a corpore Ecclesiæ membrum corruptum; nemo vero corruptus est, qui conservans rectam fidem animatur spiritu Ecclesiæ. Igitur præscindit solum illos, qui recedentes a recta fide, exanimes sunt spiritu fidei Ecclesiæ.

\* Ex. gr. *Trid. cit. prox. Seff. can. 1.* „ Si  
„ quis negaverit in SS. Eucharistiae Sacra-  
„ mento contineri vere, realiter, & sub-  
„ stantialiter corpus & sanguinem, unacum  
„ anima, & Divinitate D. N. J. Christi ...  
„ anathema fit. “ Hæc regula maxime ob-  
servanda est in *Trid. Decretis* intelligendis,  
quum enim *Trident.* quod fusius in *Decretis*  
statuit & declaravit, præcisiss terminis in ca-  
nones redegerit; illud tandem *ibid.* est certo  
& ultimato judicio definitum, quod statu-  
tum & declaratum in *Decretis*; & cuius  
con-



contrarium anathematizatum in Canonibus invenitur.

### §. LXXIV.

*3tia Excommunicatio ferenda.*

Vel si in eos, qui contrarium dogmatizaverint, sententiam excommunicationis ferri jubeat.

\* Ex. gr. Honorius III. cap. 7. *de Heret.* rescripsit Rhemensi Archiepis. „ *Mandamus quatenus sub anathemate interdicas, ne quis de cetero audeat dicere, Christum non esse aliquid secundum quod homo.* “

### §. LXXV.

*Subinde afficiunt modum, & non substantiam doctrinæ.*

Subinde *anathema*, seu *excommunicatio* non fertur contra eos, qui sequuntur doctrinam quoad substantiam; sed solum contra eos, qui excedunt in modo tradendi doctrinam; & tunc *anathema* non est nota definiti dogmatis.

\* Ex. gr. Trid. *Sess. XXIV. de Matrimonio can. 7.* „ *Siquis dixerit. Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelium,* „

„ cam , & Apostolicam doctrinam , propter  
 „ adulterium alterius conjugum matrimonii  
 „ vinculum non posse dissolvi . . . ana-  
 „ thema fit . “ Quo canone non sunt dam-  
 nati Græci inauditi , apud quos matrimo-  
 nium dissolvitur propter adulterium , ut re-  
 monstraverat Orator Venetus in Concilio ,  
 & obtinuit reformationem canonis , qui prius  
 sic concipiebatur : *Siquis dixerit , propter  
 adulterium &c.* sed solum cohibuit Concilium  
 modum & temeritatem Protestantium , qui  
 erroris insimulabant Latinos propter doctri-  
 nam & praxim eorum .

### §. LXXVI.

*4ta Si adversarii declararentur hæretici.*

Si denique contrarium dogmati-  
 zantes manifesto damnentur , seu decla-  
 rentur Hæretici .

\* Ex. gr. Innocentius III. in Concilio Lateran.  
 IV. relatus cap. 2. de *Summ. Trinit.* decer-  
 nit eum , qui doctrinam Abbatis Joachim ,  
 quæ adstruebat trium Personarum unitatem ,  
 non esse secundum naturam , sed quasi col-  
 lectivam & similitudinariam , quemadmo-  
 dum multi homines unus populus , & multi  
 fideles una Ecclesia , defendere , vel appro-  
 bare præsumperit , tanquam hæreticus ab om-  
 nibus evitetur . Item Gregorius X. in Con-  
 cilio Lugdunensi II. relatus cap. unic. de *Summ.*  
*Trinit.*



*Trinit. in 6. „ Sacro approbante Concilio,  
„ ait, damnamus, & reprobamus omnes, qui  
„ negare præsumperint, Spiritum S. ex  
„ Patre, & Filio procedere. “*

### §. LXXVII.

*Denique colligitur ex praxi & sensu  
Ecclesiæ.*

Si quid vero vel in Definitione conciliari obscurius est, vel de concilii œcumenicitate, aut legitimitate dubium, aut controversum; declaratur, & corroboratur unanimi sensu, praxi, acceptatione Ecclesiæ.

\* Sic irreformabile, & irrectabili esse iudicium Concilii Nicæni, affirmabat Athanasius *Epist. ad Africanos Episcopos*, quia inquietabat, „ Huic certe Concilio Universus „ orbis assensum præbuit. “ Chalcedonensis, quia inquietabat Leo *Epist. ad Leonem August.* non licere, quod „ Universa Ecclesia amplexa est, ad arbitrium hæreticæ petitionis „ infringere. “ Vid. Joan. Opstraet *de loc. Theol. Diff. IV. qu. 1. num. 6.* Sic fit, ut mutuo se adjuvent *Teslis*, & *Judex Ecclesia*; quod enim in *Tesiimonio* practice eloquentis Ecclesiæ obscurius est, illud declarat *Judicium Ecclesiæ*; & quod minus clarum, vel nondum satis solidum in *Judicio Ec-*



Ecclesiæ ; illud declaratur , & consolidatur Ecclesiæ praxi , acceptatione , sensu , & testimonio .

### §. LXXVIII.

*Scripturis proxime accedit auctoritas Conciliorum.*

Est igitur primarium , & generale Principium Theologiæ Verbum Dei , seu scriptum , seu traditum , cuius verum & genuinum sensum colligimus ex sensu omnium , tum Pastorum , tum Fidelium , practice veluti eloquentium , qui depositarii sunt Verbi Dei ; vel certe ex doctrina Patrum , qui in Ecclesia Magistri & Doctores probabiles extiterunt . Sed quemadmodum verum & genuinum sensum Verbi Dei , ita verum & genuinum sensum praxis & doctrinæ Universalis Ecclesiæ privato ingenio non sine periculo erroris est determinare . Hinc indigemus judicio , & Magisterio vivæ vocis Ecclesiæ , cuius solius ore Spiritus ille veritatis loquitur . Quamobrem post divinam Scripturam proximum habent auctoritatis gradum Concilia præsertim Generalia .



\* Noverat S. Augustinus Traditionem esse canoniam Fidei regulam; attamen hanc non sufficere subinde, & ultimato esse recurrendum ad Concilii auctoritatem, satis indicat, dum ita excusat S. Cyprianum saepe alibi, & lib. 2. de Baptis. contra Donatis. cap. 8.,, Sed „ quia tunc non extiterant, nisi qui ei consuetudinem opponerent: defensiones autem „ ipsius consuetudinis non tales afferrent, „ quibus illa talis anima moveretur, noluit „ vir gravissimus rationes suas, et si non veras (quod eum latebat) sed tamen non „ vietas veraci quidem, sed tamen nondum assertae consuetudini cedere. “ Vid. Dionys. Petavium Theolog. Dogmat. Prolegom. cap. 2. §. 1.

### §. LXXIX.

*Unde Theologus desumit argumentum necessarium.*

Atque hoc argumentum, quod ex Verbo Dei, ejusque Interpretate Catholica Ecclesia, atque ab eadem Ecclesia receptis Conciliis ducitur, est necessarium, & quod certam habet, & ad assensum cogentem concludendi firmitatem.

\* Quapropter apte Muratorius lib. de Ingen. moderat. 1. cap. 12. §. 3. „ Ubi enim „ vina revelatio occurrit, ubi Ecclesia jus „ decer-



„ decernendi habuit atque decrevit ; tunc  
„ recta ratio monet ; repudiendas esse inge-  
„ nii nostri fallaces argutias , & audienda  
„ esse Dei & Ecclesiæ fidissima Edicta .“  
*Vid. Petav. loc. prox. cit. §. 2.*

## C A P U T V I .

### DE PHILOSOPHIA.

§. LXXX.

*Succedit opinio.*

Quod si alterutrum absit ; dum adest scilicet probabilis Scriptura ; si absit testimonium practice , vel doctrinaliter Interpretis Catholicæ Ecclesiæ : vel dum cum Scriptura simul adest hujusmodi probabile testimonium ; si absit ejusdem Ecclesiæ Catholicæ judicium , atque publicum magisterium ; tunc innitimur particulari , privato , fallibili judicio ; nec nisi in probabilibus versamur.

\* „ Quum vero divina Revelatio , ait Mu-  
„ ratorius loc. prox. cit. desideratur , & aut  
„ Ecclesiæ nullum ferendæ sententiæ jus  
„ fuit , aut nulla adhuc inde manavit sen-  
„ tentia , liberum erit ingenio nostro iis in  
„ rebus sentire , quod veritati proprius vi-  
„ debitur .“ *Vid. Petav. prox. laud. loc.*

G

§. LXXXI.



## §. LXXXI.

*Haurienda ex fontibus Dogmaticis.*

Divina Revelatio est quidem perfecta; attamen non omnia quæ in ea continentur, eruta, definita, & ad credendum proposita sunt ab Ecclesia. Hinc cogimur subinde Scripturas lustrare, ipsarum sensum ex Traditione colligere, ex similibus Conciliorum definitionibus Traditionem firmare, & corroborare. Unde consequitur, eosdem fontes esse opinionis in Theologia, qui sunt Dogmatis.

## §. LXXXII.

*Est necessaria Philosophia.*

Est vero Philosophia, eaque Rationalis, quæ docet, ratiocinari: ex notis ignota inferre: consentanea, & copulata conjungere: separare disjuncta & difformia: quæ viam & ordinem tum discendi, tum docendi præscribit. Philosophia igitur, eaque rationalis, seu Logica est magno usui Theologo.

\* Emmanuel Caleca pro usu Philosophiæ in Theologia contra Nicephorum Gregoram ita difficit:

rit: „ Qui Syllogismos, & argumentationes  
 „ penitus excludit a Theologia, primum id,  
 „ quod humanæ naturæ proprium est, &  
 „ hominum inter se colloquium, & Commu-  
 „ nionem tollet e medio: tum B. Paulum  
 „ redarguet reprehendentem eos, qui ex  
 „ aspectabilibus rebus de Deo ratiocinari mi-  
 „ nime potuerunt, & ex creaturis agnosce-  
 „ re Creatorem. Quin ipsius Salvatoris  
 „ sententiam labefactabit, qua scrutari Scrip-  
 „ turas jubet. Perspicuum est enim eum,  
 „ qui Scripturas perscrutatur, non nisi ar-  
 „ gumentando legere. “ Ob unitam sibi  
 Divinitatem Christi humanus intellectus fuit  
 sapientissimus, vidit omnes terminorum con-  
 nexiones, non indiguit ratiociniis; ast ut  
 breves illorum, ad quos loquebatur, instrue-  
 ret intellectus, nosque suo exemplo ratioci-  
 nari doceret, usus est frequenter syllogismo,  
 velut dum ait: „ Porro si in digito Dei ejii-  
 „ cio dæmonia, profecto pervenit in vos  
 „ regnum Dei. “ *Luc. cap. 12. v. 20.*  
 Item: „ Si autem & Satanás in se ipsum  
 „ divisus est, quomodo stabit regnum ejus? “  
*Ibidem v. 18.* Item: „ Non est Deus mor-  
 „ tuorum, sed viventium, “ *Matth. cap. 22.*  
*v. 32.* Uti observat. Laud. Caleca.

### §. LXXXIII.

*Sed parce adhibenda.*

Sed parce in Theologia est phi-  
 losophandum. Nam meminisse debemus,



divina esse, quæ in ea perscrutamur, esse magis augusta, quam ut humili nostro intellectu conspiciantur. Revelationem esse lumen, quo prælucente in inquirendis divinis incendendum est; proinde esse subsistendum, quoties istud delitescat, & sic statuendum, Deum non fuisse manifestius locutum ex alto Consilio imperceptibilis mysterii, quod latet, quodque decet nos venerari humili solius fidei obsequio; vel ex consilio innocuæ superfluitatis, quod illa obscuriora absque fidei morumque detimento ignoremus; hinc merito esse temperandum nostræ curiositati.

\* „ Ut igitur sol ita videndus est, apte ait Hilarius *lib. de Trinit. cap. 10.* „ ut possit videri: tantusque excipiendus lumine est, „ quantus admittitur: ne si plus velimus „ expetere, minus quoque quam possumus, „ consequamur. Ita & ratio cœlestis in „ tantum intelligenda est, in quantum apprehendendam se dedit: ne si contenti „ indulgentiæ moderatione non simus, omittamus indulta. “ Discamus ex infelici Hæreticorum experimento, quorum Patriarchas fuisse Philosophos, testis est Tertullianus *lib. adversus Hermogenem.*



## §. LXXXIV.

*Præferenda Socratica.*

Præferendi sunt familiares sermones disputationibus ad præcepta Dialecticæ accommodatis. Sunt enim colloquia illa, quibus mutuo quærere, & respondere solemus, optima inveniendæ veritatis ratio; nam dum disceptantium more congregdimur; sunt non raro, qui pro brosum sibi putant erroris convinci; quin, & illud accidere solet, ut argumentationes optimæ, & ad coarguendum quam aptissime instructæ, ridiculo vertantur Adversariorum confussis clamoribus, qui obfirmato animo ea defendunt, quæ aſſumpſerunt, quin & animi adeo etiam exulcerantur, ut dolorem quidem premant nonnunquam, nonnunquam etiam quiritationibus aperte prodant.

\* Est quoque promptior hæc philosophandi methodus, quemadmodum enim, „ si quis, „ quam dare volens præcepta ambulandi, „ moneat, non esse levandum posteriorem, „ pedem, nisi composuerit priorem, deinceps, „ de minutatim quemadmodum articulorum, „ & poplitum cardines oporteat movere, „ describat, “ verum quidem dicit, „ nec



„ aliter ambulari potest, sed facilius homines haec faciendo ambulant, quam animadvertant, cum faciunt, aut intelligent, „ cum audiunt; ita plerumque citius ingenirosus videt, non esse ratam conclusio- „ nem, quam præcepta ejus capit, tardus „ autem non eam videt, sed multo minus, „ quod de ea præcipitur. “ Ita Augustinus  
*Lib. de Doctr. Christ. 2. cap. 37.*

### §. LXXXV.

#### *Inquirendum in Dogmatum existentiam.*

Strenue laborandum est, ut ex regulis canonicis, non *intelligenda*, sed *credenda* eruamus; si enim credenda erui-mus: si existentiam dogmatis habemus, satis est; quum quæ credimus, intelligere frustra regulariter contendamus.

\* Est hæc præscriptio Augustini *lib. 9. de Trin. cap. 1.* „ De *credendis* nulla infidelitate du-bitemus; de *intelligendis* nulla temeritate affirmemus. In illis auctoritas tenenda est; in his veritas exquirenda. “ Sic ex gr. de Unitate, & Trinitate Dei nulla infidelitate dubitemus, quia tenenda est auctoritas Revelationis, quæ dogmatis existentiam nobis certo tradit; ast ratio connexionis terminorum nulla temeritate affirmetur, quia veritas est exquirenda, quæ impervia est hic humano intellectui.

CA-



## C A P U T VII.

## D E M E T H O D O.

§. LXXXVI.

*Candidatis manuductio necessaria.*

Est incipientibus manuductio necessaria ; quoniam ut pulchre discurrit Augustinus , (a) , Ad descendum dupli-  
citer ducimur , auctoritate , atque ratione , tempore auctoritas , re autem ratio prior est . Aliud est enim , quod in agendo anteponitur , aliud quod pluris in appetendo aestimatur . Itaque quanquam bonorum auctoritas imperitæ multitudini videatur esse salubrior ; ratio vero aptior Eruditis . Tamen quia nullus homo , nisi ex imperito peritus sit , nullus autem imperitus novit , qualem se debeat præbere docentibus , & qualis vita esse docilis possit , evenit , ut omnibus bona , magna , & occulta discere cupientibus non aperiat , nisi auctoritas januam ; quam quisque ingressus sine ulla dubitatione vitæ optimæ præcepta sectatur , per quæ cum docilis factus fuerit ,



„ fuerit, tum demum discet, & quanta  
„ ratione prædita sint ea ipsa, quæ se-  
„ cutus est ante rationem, & quid sit  
„ ipsa ratio, quam post auctoritatis cu-  
„ nabula firmus comprehendit. “

(a) *Lib. de Ordine 2. cap. 9.*

### §. LXXXVII.

*Est sua auctoritas Scholasticis.*

Est sua Auctoritas Scholasticis Theologis; etenim habent doctrinæ, & artis præsumptionem. Esse vero artis peritis credendum, vel ipsa ratio suadet, quod censeantur rerum rationes penitus inspexisse. Sustinent deinde utcumque vices Magistrorum, & Doctorum Ecclesiæ, qui si consentiant eadem mente, oreque eodem; arguunt dogmatis evidentiam, & Ecclesiæ consensum.

\* Unde etiam Recentiorum Scholasticorum voluit haberi rationem Concilium Viennense relat. *Clemen. unic de Summ. Trinit.* „ Opinonem illam, quæ dicit tam parvulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & *Doctorum modernorum* „ *Theol.*



„ Theologiæ magis consonam , & concor-  
„ dem , fore a Catholicis eligendam . “ Vid.  
Canum Lib. de loc. Theol. 8. cap. 4.

### §. LXXXVIII.

Sed nec soli auctoritati;

Verum proficientibus minime suf-  
ficit sola auctoritas ; enim vero eloquar  
verbis Doctis. Petri Ballerini , (a) „ ru-  
„ des erimus semper , ac cœci matura-  
„ ac devexa jam ætate , si infantum  
„ more ex alterius sententia toti pen-  
„ deamus , & quæ ab aliis dicta sint ,  
„ credamus continuo , neque antea pro-  
„ be excutiamus : quasi vero ratio , quæ  
„ cum ætate crescit , ea de causa nobis  
„ a Deo data esset , ut *desidem* interea vi-  
„ tam agamus , aut *serviliter* sequamur  
„ eorum opiniones : qui quod ante nos  
„ nati sint , non idcirco vel luminis sunt  
„ instar divinitus affulgentis , vel errori-  
„ bus minus , atque nos subjecti : *bæc*  
„ *agendi ratio* , teste S. Augustino , *indigna*  
„ *est* , non modo homine *Philosopho* , verum  
„ etiam *rationali*. “ Quæ de Studiis a Bal-  
lerino generice dicta audivimus , potiori  
jure ad studium Theologicum traducun-



tur, in quo quam minus laudabiliter versati fuerint multi Scholastici, libri ipsorum loquuntur.

(a) *De Methodo studendi excerpta ex operibus S. Augustini cap. 5.*

\* „ Ego magno cum assensu omnium dicere „ me video, inquit Canus lib. de loc. *Theol.* 8. cap. 1. „ Miseram esse Scholæ doctrinam, „ quæ se titulis magisterii defendat; mise- „ ram etiam, atque haud scio an multo ma- „ gis, quæ detracta Scripturæ Sacræ aucto- „ ritate, Syllogismis contortis de rebus di- „ vinis philosophatur; imo ne de rebus di- „ vinis quidem, sed nec de humanis, ve- „ rum de his, quæ nihil ad nos attinent. „ Intelligo autem fuisse in Schola quosdam „ Theologos ascriptitios, qui universas quæ- „ stiones Theologicas frivolis argumentis „ absolverint, & vanis, invalidisque ratiun- „ culis magnum pondus rebus gravissimis „ detrahentes, ediderint in Theologiam „ Commentaria vix digna lucubratione ani- „ cularum. Et cum his Sacrorum Biblio- „ rum testimonia rarissima sint, Conciliorum „ mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis „ oleant, nihil ne ex gravi Philosophia qui- „ dem, sed fere a puerilibus disciplinis; „ Scholastici tamen, si Superis placet, „ Theologi vocantur: nec Scholastici sunt, „ nedum Theologi, qui sophismatum fœces „ in Scholam inferentes, & ad risum viros „ doctos



,, doctos incitant, & delicatores ad con-  
,, temptum. “

### §. LXXXIX.

*Nec numero credendum.*

Quamvis ex multorum consensio-  
ne, ut hic affirmavimus, oriatur præ-  
sumptio veritatis; numero tamen nedum  
tuto confidimus; Nam Scholaftici, di-  
cam cum Seneca, (a) *pecorum ritu* pergunt,  
*non qua eundum est, sed qua itur*: & ut  
aptissime ipsos expinxit Dantes, imitan-  
tur *vervecum morem*; quod primus fecerit,  
& reliqui faciunt: is si procedat, & hi  
sequuntur: fistat ille, & alii fistunt; ul-  
tra non sapiunt.

(a) *Cap. 1. de vita beata.*

\* Sequi numerum major servitus est. Hanc  
serviant, qui a natura nacti sunt crassius in-  
genium, ita ut inepti sint ad investiganda  
arcana Dei; ast meliorem fortitos naturam  
dedecet profiteri: *se male insanire cum mul-*  
*tis, quam cum paucis sapere*, quapropter ter-  
rere tempus pretiosum in conquirendis so-  
ciis, & auctoribus sui præjudicii, quod uti-  
lius impenderent eruendæ veritati. Vedit  
nostrī principii veritatem S. Augustinus,  
dum dissimulavit Juliani Pelagiani, opposi-  
tio-



tionem : „ Non numerandas , sed ponderandas  
 „ esse sententias ; nec ad aliquid invenien-  
 „ dum quidquam multitudinem prodesse cœ-  
 „ corum . “ *Lib. 2. contra Julian. cap. 10.*  
 & manifesto probavit , dum alibi ex Juliano  
 ipse querit : „ Nunquid ideo vim verita-  
 „ tis effugere poteris , quia nobis . . . im-  
 „ portas socios falsitatis ? “ *Lib. 5. contra  
 Julian. cap. 7.*

### §. XC.

#### *Sed ratio consideranda.*

Pondus igitur ipsorum examine-  
 mus , necesse est . Quibus principiis Theo-  
 logia Revelata nitatur , hactenus satis  
 deduximus . Ad ea principia sunt exi-  
 gendi , & quo ad eadem magis exacte  
 locutos adinvenerimus , eo probabilio-  
 res reputemus .

- \* Seu audimus , seu legimus Scholasticos , agen-  
 dum est cum iis , quemadmodum Paulam  
 Romanam secum egisse , narrat Hieronymus  
 in *Proemio Epist. ad Galat.* „ Cum Romæ  
 „ essem , nunquam tam festina me vidit , ut  
 „ non de Scripturis aliquid interrogaret .  
 „ neque vero more Pythagorico quidquid  
 „ responderem , rectum putabat , nec sine  
 „ ratione præjudicata apud eam valebat au-  
 „ ctoritas , sed examinabat omnia , & sagaci  
 „ men-



„ mente universa pensabat , ut me sentirem  
„ non tam discipulam habere , quam judi-  
„ cem . “ Quod sine reprehensione sustinuit  
a Paula Hieronymus , id sustinere a disci-  
pulis suis Theologos Professores non de-  
decet .

### §. XCI.

*Sicut & ratio opposita.*

Neque suasibilibus ipsorum ratio-  
nibus præcipitanter assentiamur ; fit enim ,  
ut suis inducti studiis proprios cancros  
colorent , seu non videant , seu dissimu-  
lent , quæ minus probabiler in rem suam  
allegarunt , vel contra efficaciter allegari  
possunt . Sunt igitur expendendæ omnes  
& singulæ objectiones .

\* Tradit nobis hanc regulam S. Hilarius lib.  
1. de Trinit. „ Parum est in rebus ad salu-  
„ tem maxime necessariis sola ea ad satis-  
„ factionem fidei afferre , quæ propria sunt :  
„ quia plerumque blandientes sensum fallunt  
„ dictorum nostrorum inexplorantæ affer-  
„ tiones , nisi etiam propositionum adver-  
„ farum demonstratae inanitates fidem no-  
„ stram in eo ipso , quod ipsæ ridiculæ esse  
„ arguantur , affirment . “ Hinc Eusebius  
Lib. 1. de Præparat. Evang. n 1. Optimo  
Consilio sic ait : „ Facturus operæ pretium  
„ mihi



„ mihi videor, si aggressurus hoc demon-  
 „ strationis Evangelicæ opus pauca sternen-  
 „ dæ ac præmuniendæ viæ gratia prius de  
 „ iis rebus definiam, de quibus tam genti-  
 „ tiles, quam Judæi justam nobis quæstio-  
 „ nem movere posse videantur. “

### §. XCII.

*Non satis, si sit soluta.*

Solutio oppositorum non est cer-  
tum veritatis adinventæ argumentum;  
quoniam quum tot sint falsa, quot ab-  
errationes a vero; & a vero infinitis pos-  
sit aberrari modis, detecta falsitate oppo-  
sitorum nondum sequitur, non posse la-  
tere falsum sub ea, quam affirmamus  
sententia.

\* Sic scribit Lectantius *lib. de ira Dei cap. 11.*  
 „ Tullius 3. *de nat. Deor. lib.* dissolvit pub-  
 „ licas religiones; sed tamen veram, quam  
 „ ignorabat, nec ipse, nec alias quisquam  
 „ potuit inducere. Adeo & ipse testatus  
 „ est falsum quidem apparere: veritatem  
 „ tamen latere: *Utinam, inquit, tam fa-*  
 „ *cile vera invenire possem, quam falsa*  
 „ *convincere.* “

### §. XCIII.



## §. XCIII.

*Vel in dubium deducta.*

Solutio vero fit exacta oportet. Nam si opposita solvere pergitus quæstionem quæstioni, dubio dubium opponendo, non nisi tenebras tenebris offundimus. Quid deinde tam manifestum est, cui a verbosis maxime verba dubiorum, & novarum quæstionum non possint contraponi?

\* Consentit Irenæus *Lib. 2. contra hæref. cap. 10.*, „Omnis quæstio non per aliud, quod quæritur, habebit resolutionem; nec ambiguitas per aliam ambiguitatem solvetur apud eos, qui sensum habent, aut ænigmata per aliud majus ænigma: sed ea, quæ sunt talia, ex manifestis, & consonantibus. & claris accipiunt absolutiones.“

## §. XCIV.

*Sed potius dubitandum.*

Sed quamdiu vel omnino certi non sumus de asserti nostri ratione; vel nondum perfecte perspeximus, quæ contra illud militent; vel eadem plene non solvimus; suspendamus judicium nostrum; sunt



funt enim sæpius nostræ quæstiones ejusmodi , quas sine crimine licet indecisas negligere ; vel saltem ita affirmemus , ut nos opinari non obliviscamur.

\* Imitemur Augustinum , qui *Enchiridii cap. 56.* quæstionem : *cum qualibus corporibus appa- ruerint Angeli ?* maluit indefinitam relin- quere , quod „ opus non sit , ut hæc , atque „ hujusmodi affirmentur , vel negentur , vel „ diffinantur cum discrimine , quando sine „ crimen nesciuntur . “ Et *Lib. 8. de Genes. ad liter. cap. 5.* „ Erunt , inquietabat , qui „ ipsam omnino animam esse corpoream pronun- „ ciare non dubitent , cum quibus ego de „ tam magna quæstione nulla temeritate „ configo . Melius est enim dubitare de „ occultis , quam litigare de incertis . “

### §. XCV.

*Si quid erravimus , retractandum.*

Quod si nos errasse deprehende-  
mus , errorem retractare minime erube-  
scamus . Etenim similes Venatoribus ,  
latentem disquisitionibus nostris venamur  
veritatem ; Quis vero Venatorum insa-  
niet adeo , ut erubescat relegere peractam ,  
quæ sibi spem negat , & novam , quæ  
sibi spem promittit capiendæ , quam perse-  
qui-

quitur, feræ, inire viam? Erubescat retractare quod erravit, qui non conditione, qua omnes nascimur ignorantes, sed voluntate peccavit.

\* Quapropter siqua incaute concessimus, quibus implicamur; ad ea soluturi redeamus. Nam *Trigesio querenti*, licetne tandem ad ea, quæ temere concessa sunt, redire rursum? Augustinus lib. 1. in Academ. cap. 3. respondet: „ Illi hoc non solent concedere, „ quos ad disputandum non inveniendi ve- „ ri cupiditas, sed ingenii puerilis jactantia „ impellit. “ Afferuimus erronea; eadem fine pudore retractemus. Nam qui ab opinione, quam defendendam suscepserunt, vel nunquam, vel difficulter patiuntur se deflecti, ii, dicam cum Augustino Epist. 238. al. 17. ad Paschen. „ Docti, atque „ Sapientes magis putari, quam esse con- „ cupiscunt. “ Docuimus erronea; retractare tenemur. „ Nam, inquit Augustinus Epist. 143. al. 7. ad Marcellinum: nimis perverse „ se ipsum amat, qui & alios vult errare, „ ut error suus lateat. Quanto enim me- „ lius & utilius, ut ubi ipse erravit, alii „ non errent, quorum admonitu errore „ careat; quod si noluerit, saltem comi- „ tes erroris non habeat. “



## §. XCVI.

*Abstinendum a contumeliis.*

Seu in opinabilibus Scholaſticos,  
ſeu in dogmaticis Hæreticos nobis adver-  
ſantes convitiis onerare non audemus.  
Nam Scholaſtici imprimis eandem nobis-  
cum veritatem , diversis opinionibus ,  
tanquam diversis viis , quærunt ; ſtudent  
nobilcum communi Eccleſiæ bono : ſunt  
igitur amandi ut fratres. (a) In Hære-  
ticiſ vero error duntaxat nobis displicere  
debet. Error autem non emendatur , one-  
rando contumeliis personam ; ſed illumi-  
nando rationibus intellectum. Igitur „ fe-  
„ paratis nugis res cum re , cauſa cum  
„ cauſa , ratio cum ratione configat , “  
ait Auguſtinus. (b)

(a) Hinc Clemens XII. in Breui *Apoſtolice Providentiae* die 2. Octobr. 1733. „ Pacem  
„ ſiquidem , quam cum veritate diligendam  
„ Dominus præcepit , inter Catholicæ Eccle-  
„ ſiæ filios fovere & communire debemus ...  
„ ut conjuṇctis diverſarum licet Scholarum  
„ ſtudiis firmius fit aduersus erroris inſidias  
„ præſidium. “ Sed inquies , non tam ve-  
ritati , quam Scholæ præjudiciis pertinaciter  
ſtudent. Verum fit ita ; contumeliis tamen  
ad rectam non illos reduces viam.

(b) *Lib. de utilit. credendi. cap. 2.*

## §. XCVII.



## §. XCVII.

*Subinde acrius agendum.*

Est tamen in ipso moderamine laudabilis mediocritas. Quamobrem circa hæreses, & opiniones insubsistentes, & periculofas: et si abstinentia sit ab offensa personarum; ita tamen mentem aperiamus oportet, ut, non quidem animo iniquo; attamen candido, & ingenuo pandamus nævos, & errores, ut sic & nos ab illis procul abesse indicemus, & consulamus aliis, ne incaute seducantur.

\* Profecto Christus Pharisæos vocavit *Progeniem viperarum*, *Matth. cap. 3. v. 7.* & *cap. 12. v. 34.* S. Epiphanius vero *lib. 3. advers. hæref. circa finem.* „ Rogo vos omnes, ait, qui hæc lecturi estis, ut veniam detis mentis meæ tenuitati, quæ a multo hærefoen veneno obstupuit instar nauseantis & revomentis propter austera verba, per quæ contra quosdam commota & inventa est, dum aliquos *scelestos*, aut *impostores*, aut *erroneos*, aut *deceptores* appellavit. Nam propter multam veneni molestiam ac vexationem, quamvis hic non nosfer mos sit, ut aliquos libenter fugillemus, coacti fuiimus talibus ipsis impetrare verbis, quo mentem quorundam avertemus, ne forte putent nos ex eo, si



„ displicentiam nostram non publicassemus  
„ in revelando ea, quæ ab ipsis dicuntur,  
„ aut si sunt, partem habere mentis assentien-  
„ tis pravæ uniuscujusque hæresis opinioni.“


### S. XCVIII.


*Recordandum denique infirmitatis nostræ.*

Denique, qui credit se stare, vi-  
deat, ne cadat. Eadem qua alios homi-  
nes, nos circumdatos infirmitate, seu le-  
gimus, seu scribimus, seu loquimur, re-  
cordemur; nec multum nostro confida-  
mus ingenio, ne dum alios reprehendi-  
mus, ipsi reprehensionem incurramus.  
Hinc memor tenuitatis meæ audeo ver-  
bis Magni Doctoris S. Augustini conclu-  
dere: „ Cetera quæ in hoc libro dispu-  
„ tando locutus sum, ad hoc valeant  
„ legenti, ut aut noverit, quemadmo-  
„ dum sine affirmandi temeritate quæ-  
„ renda sint, quæ non aperte Scriptura  
„ loquitur; aut si ei iste quærendi mo-  
„ dus non placet, quemadmodum ipse  
„ quæsiverim sciat, ut si me potest do-  
„ cere, non abnuat, si autem non po-  
„ test, a quo ambo discamus, mecum  
„ requirat. “ (a)

(a) *Lib. 7. de Genes. ad lit. cap. 28.*







NARODNA IN UNIVERZITETNA  
KNJIŽNICA

COBISS



00000320988

